Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Trygophorus

Concertationes Ethicae Ex Aristotelis X. Libris Nicomachiis, Una cum Applicatione ad Ethicam Christianam

Gryphiswaldi[i]: Ferberus, 1606

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0001
DFG

Gr. Ind. 520 p. A 10
22. c. 8.
2375
Eb-3137.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn770152651/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0004
DFG

CONCERTATIONES ETHICÆ EX ARISTOTELIS X. LIBRIS NICOMACHIIS,

Unà cum

Applicatione ad Ethicam Christianam,

Quas

D. T. O. M. Auspicio

In Illustri & celeberrima Pomeranorum Academia, cum consensu Facultatis illustris exercuit

M. JOANNES TRYGO-
phorus, Hessus.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

GRYPHISWALDI
Expressæ ab Augustino Ferbero Juniore,
Anno M. DC. VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0005
DFG

MAGNIFICIS, STRE-
NUIS, NOBILISS. CLA
RISSIMIS ET PRUDEN-
TISSIMIS VIRIS,

D. Erasmo Küssow:
D. Hugoldo Behren:
D. Danieli Rungio I. U. D. & Professori Academiæ Gryphiswaldensis:
D. Raimaro Seltrecht, I. V. D. & Comiti Palatino:
D. Christophoro à Lancken:
D. Adamo Trampen:
D. Davidi Horn:

Illmi Principis & Domini,

D. PHILIPPI JULII,

Ducis Stetini, Pomeraniæ, &c.

Cancellario, & Consiliariis intimis,

Dominis Mœcenatibus meis omnibus & singulis observandis

S. P. D.

M. Joannes Trygophorus Hessus.

QVOD SI MIHI OSTENDENDUM erat, Viri Magnifici, Nobilissimi, Consultissimi, Doctissimi, moralis in vitâ quid possit disciplina, non undè ortum illa sortiatur, altius indagarem, ab unâ enim hæc proles matre, quamvis non uno partu, & via eadem, cum suis prognata est sororibus doctissimis. Concepta n. fuit ubi humani sensus, divinæ rationis lumine excitati, mentis legitimum irent in amplexum. Nec, quomodò prodierit, ostenderem. latuit a. aliquandiu postquam enata esset, nec in omnium ivit repentè conspectum. Per Linum enim & Tamyrem, ante Homerum & Hesiodum, ut Strabo testis est, Poëtarum metris, ceu fasci-

culis involvebatur, sed pòst per Cadmum soluta, per Socratem & Platonem revoluta, donec deniq; per Aristotelem & alios plenè cujusvis sit adspectui explicáta. Non hæc agi oportebat, sed pulchritudo ejus rosea, sic depicta V V. M M. & E E. oculis producenda erat, ut præstantia & dignitas ejus aurea omnibus esset in promptu, & apertissima. At verò nec huic vel paupertas peritiæ meæ par est, vel penicilli respondet aptitudo, etsi velim, nec opus arbitror si possem. Vos enim ipsi perspexistis, virtus quid possit, qui per hanc eandem magni & sublimes estis, virtutum ipsi qui doctores habemini, & cum laude estis eximij, justitiæq; vindices æquissimi. Pulchritudinem si vultis ut ostendam, quid aliud possum, nisi ut vos reducam

cam ad vos ipsos, cum imaginem hujus mihi præbeatis in vobis ipsis vivam, & exquisitam quasi ἰδέαν. Itaque cum neutrum debui, quid enim virtus sit ubi doceo, sus Minervam doceo: Aristippus fortè cuipiam videar, in vestra laude si hæreo diutius, cui tamen sat esse nunquam valeo, quæ ratio sit, cur vos appellem, VV. MM. & EE. cur hasce velim inscribere nomini theses vultis ut ostendam? Potiorem intelligitis. qui enim bonos quosq; tuimini, me simul vestro complectamini patrocinio, meaq; studia, hoc est, quod precor. Quo voto ut potiar, aliquam studij hujus mei do rationem.

Cum enim ante triennium in illustrem hanc Gryphiswaldensem per nobiles quosdam deducerer Academi-

demiam, id sempèr cogitavi, nobilibus mea in erudiendo quomodò inserviret opella. Video enim ex his Reip. si nō satis rectè educētur, seminari mala haud parva, quod unicè indulgentia in filium Neronem comprobare sufficit Agrippinæ matris, quæ sui ipsius interitum optabat, modò filius in vivis esset, regnoq; potiretur, sin verò mediocritèr benè, contra firmum esse imperium, non minùs atq; domus tuta est, & stabilis, columnæ si futuræ sint firmæ. quid n. nobiles aliud nisi imperij columnæ & fulcrū? Neq; n. vestrum quisquam est scio, qui non in eam suo mecum eat voto sententiam, generis fortunam magnam quidem esse ex majoribus Dei muneribus munificentiam, nisi ipsi tamen filij comparata, & exercita honesti adaugeant

geant hæreditatem ſuam ſua laude, non minùs obſcurari parentum gloriam, quàm per hanc ipſam familia erat illuſtrata? gloriæ enim, quæ à parentibus eſt, dedecori eſſe, nefas & vitium judicandum eſt. Amplificaturi certè haſce ſuæ hæreditatis copias, ſua ſi adjecerint, quod tùm imprimis fiet, ad bellicas majorum quandò ſtudij adjunxerint laudem. tùm enim cum vel togati è ſuggeſtis aliquandò ſpeculabuntur, duplum videbunt, διπλᾶν γὰρ ὄψονται οἱ μαθόντες γράμματα, Menandro ſuggerente, vel ubi in aciem arma provocarint, Arte pugnabunt & Marte, conſilio & robore. Licon, qui diſcipulis informandis quaſi natus erat, duo dicebat inſtitutioni maximè neceſſaria, pudoris incuſsionē & laudis ſtudium: quo quid

voluerit aliud, nisi tùm morũ informationẽ ὁ γὰρ μὴ δαρεὶς ἄνθρωπος οὐ παιδεύεται, quod ipsum Menandri, tùm ingenij ad artes ingenuas inflammationem, non video, quæ tamen nec quovis concitanda, hoc in genere hominum, flabello. Chrypsipus lactis alimoniam propriæ matri commendabat, Agesilaus Rex suam ipsius educationem institutionemq; Regiæ arti. Cum enim aliquandò interrogatus fuisset, qui nihil studij Sophistis impenderet, cũ tamen totus Politicis esset consecratus, respondit: eorum malo esse discipulus, quorum sum filius. Sic existimo, nobilem materno lacte, hoc est, nobilibus studiis esse lactandum, quæ cum nulla sint nisi mores & oratio, hoc studeo & studui informantibus & excitantibus indies meVirisClarissimis & Doctiss. quos

Reve-

Reverentiæ gratia nomino, Dn. M. Christophoro Neandro, Promotore & Præceptore in æternum mihi colendo, viro & ratione acutissimo, & oratione eloquẽtissimo, atq; adeò Politico & Professore Marchionũ Celeberrimo, & M. Calebo Trygophoro, ibidem Professore Logices dignissimo, mihi Parentis loco venerando, per me quid aliquando possint illi, etsi ipse parum. Quod tamen ipsum cũ nequeã vel in miraculo aliquo edẽdo, minimè debeãin concertatione armorum aut globulorũ, in cõcertatione tamen linguæ & rationum palæstra, cum honestate pietatem, cum pietate honestatem conferens, ago exercitamentum. Cujus ut ET VV. MM. & EE. sit aliquod signum, & ego in vobis habeam præsidium, concedite, in vestra ope exercitium hoc iñitatur meum,

à momis ut vindicer, in ludo animus ne deficiat, quandò à Patronis destitutus angitur & languescit, Valete. Gryphiswaldiæ, 26. Aprilis die, Anno 1607.



PRO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0014
DFG

DISPUTAT.

I. *De subjecto: Fine: Definitione: autore & utilitate Ethices civilis.*

LIBER I.

Disputat.

II. *De proæmio & quatuor nothis generibus boni.*

III. *De vero & genuino summo bono.*

LIBER II.

Disputat.

IV. *De causa efficiente, objecto secundario & genere virtutis.*

V. *De differentia & definitione virtutis.*

LIBER III.

Disputat.

VI. De ἑκουσίῳ, ἀκουσίῳ & προαιρέσει.

VII. De βουλεύσει & βουλήσει.

IIX. De

III X. De Fortitudine.
IX. De temperantia, ejusq; speciebus & extremis.

LIBER IV.

Disputat.

X. De liberalitate & Magnificentia.
XI. De Magnanimitate, Modestia & Mansuetudine.
XII. De virtutibus ὁμιλητικοῖς & Verecundia.

LIBER V.

Disputat.

XIII. De justitia utraq; & Talione.
XIV. De jure & æqualitate.

LIBER VI.

Disputat.

XV. De virtutibus διανοητικοῖς.

LIBER VII.

Disputat.

XVI. De virtute Heroica, semivirtut. & voluptate. Li-

LIBER IIX.
Disputat.
XVII. De amicitiæ natura.
LIBER IX.
Disputat.
XIIX. De amicitiæ proprietatibus.
LIBER X.
Disputat.
XIX. De felicitate θεωρητικῆς.

PROSAGOGE DISPUTATIONUM ETHICARUM ARISTOTELEARUM NICOMACHIARUM

Disputatio Prima,

De Subjecto : Fine : Definitione : Autore : & Utilitate Ethices civilis.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam,

Respondente PETRO ESCHILLIO Phyrladio Sveco,

Ad diem XII Julij.

I.

QVi Siciliam trajicere velit negociandi causa, navem conscendit habilem, cujus ductu, quod prosequitur anxiè, feliciter etiam consequatur : ita discendi mens

cendi mens avida certam doctrinæ tum facultatem, tum facultatis certæ certam ingredietur navem: hoc est: genuinum, & rectè ducentem, docentemq; sequetur autorem, cujus beneficio scientiam sitiens reficiatur alacriùs, citiùs etiam satietur.

2. Qua lege & nos, qui in philosophico natamus mari, & qui jam philosophiæ fructum quærimus, humanam videlicet felicitatem, etsi vix ejus dabitur possessio: navem tamen, quam ad bonum hoc extruxit decem suis libris ad Nicomachum filium Aristoteles, occupabimus: laborem certè omninò non frustraturi, saltem pro remis esto rationis fidelitas: pro anchora veritatis synceritas: pro velo discendi cupiditas: pro vento Spiritus S. flamen & benignitas: pro nauta ipsa sancta, & benignissima Trias.

3. Ut verò ijdem illi, quo tutius ad navem deveniatur, scapham intrant: ita & nobis in Ethices navem: Sic enim à nobis, credo, rectè appellabitur, quod è fluctibus humanæ tempestatis ad portum vitæ tranquillum hominem sistit: facilior dabitur

bitur conſcenſus, ubi per ſcapham, quam ſubminiſtrent ſympera ſmata quædam certiſſima, trajectus fuerit præparatus: quorum primum eſto: 1 Subjectum, circa quod Ethica verſatur, ſunt πρόξεις ἀνθρώπιναι, quatenus ad honeſtatem ſunt conformandæ. I. Subjectum.

4 *Equidem qui de ſubjecto civilis doctrinæ diſſeruerunt, idem vel hominem quatenus beari vult, ac debet, ſtatuunt, vel ipſam beatitudinem, & ſummum bonum, quomodo omnium ſententias congerit Piccolomineus in introductione ad civilem philoſ. c. 3. quibus inſuper addo ex eodem autore c. 2. ejusdem lib. ipſam civitatem, quæ ſententia Averrois in primum Moralium Nicomach.*

5. *Qui ſummum bonum, non conveniunt. Alij enim virtutem ut Stoici: Alij, inter quos primarius Caſerta Epiſcopus, virtutum finem: Alij verò virtutem, & ejus finem conjunctim. qui tamen omnes eodem argumento ducuntur: quod videlicet horum principia, partes & affectiones*

hæc doctrina scrutetur, numeret, & consideret.

6. Qui hominem, non minus variant. Averroes enim, qui sibi constare non videtur, nisi civitatem velit subjectum principale, Piccolomineus in introduct. civil. doctrinæ c. 2. actiones hominis voluntarias, has verò adæquatum, in proœmium physices, & in principium libro: Platonis de Republ. Thomas hominem voluntate agentem propter finem in proœm. libro de moribus.

7. Quæ ut rectè distinguantur hypotheses hasce præmittimus. I. Subjectum Ethices omninò discernendum à subjecto civilis doctrinæ. Cum namq; non idem sint totum, & pars etiam simul sumpta 7. topico c. 1. minimè etiam, quod totius est, totum etiam erit partium, sic enim cum homo edat, edet etiam anima, cum ut maximè homo dicatur irasci, dicendum tamen nequaquam sit animam irasci, Arist. lib. 1. de anima cont. 64. II. Subjectum aliud est inhæsio-

hæsionis seu τῷ, aliud operationis, circa quod, objectum. III Subjectum operationis, quod tantùm hujus loci, ut & subjectum demonstrationis, sumitur aut universaliter pro omni re quæ in ea est disciplina, de qua tractatio instituitur: aut pro fine operationis: aut denique pro eo in quo fit operatio. ex Zabarellæ lib. 1. de Natur. Log. c. 15. IV. Ethica tum cognoscit, etiamsi non per se, & principaliter Piccolom. in introduct. ad civil. philosoph. c. 6. tum operatur, quod omnes artes tum in cognitione versentur, tum in operatione Aristot. lib. 7. Metaphysic. c. 23.

8. Unde sic colligo 1. qui civitatem pro subjecto habent, ab Ethica, ut parte, civilem doctrinam, ut genus, non discernũt, & subjectum inhæsionis arripiuut pro operationis: 2. qui hominem propter finem agentem, principium agendi cum subjecto

miscent. 3. qui summum bonum, finem à subjecto non discernunt, & cum principia, partes, affectiones protendunt, Ethicam cognoscentem cum operante confundunt. Ex quo jam firmum stabit Sympera͡sma prius, idq; nec sine ratione. Cum enim prudentia idem sit quod doctrina civilis lib. 6. Ethic. c. 8. illius autem sit agere, Ethica, quæ est pars civilis doctrinæ, etjam propria erit actio, quamvis non eodem modo, ut subsequens declarabit Sympera͡sma.

9. At verò honestum & summum bonum cum ente convertuntur: Ergò & inter se. ex quo summum bonum adhuc erit subjectum? Cui obveniunt hypotheses sequentes. 1. Aliud est honestum & ad honestatem dirigendum, cum idem sint, quod perfectißimum atq; imperfectum. 2. actiones aliæ antecedunt virtutem, aliæ subsequuntur lib. 2. Ethic. c. 2. 3. Actiones antecedentes vel sunt causæ virtutum lib. 1. Ethic. c. 1. vel ut adhuc

sunt

sunt rude aliquid, & expoliendum lib. 3. Ethic. c. 1. Cum ergò non honestatem, non actionem subsequentem, sed antecedentem, non ut causam, sed ut rude, & per ipsum honestum expoliendum intelligamus, quæ diximus Symperasma alterum excipiet. II. Ethica propinquè versatur circa actiones humanas, quomodo respiciunt hominem singularem, & virum bonū: remote verò quomodo relatū ad civitatem & civem bonū. II. Sympe rasma de fine primario & 2dario Ethices.

10. *Equidem non negabimus virtutem in actione esse positam: sed etiam affirmabimus, sine actione virtutem nihil esse, c. 3. lib. 2. Eth. & omnem virtutem ad felicitatem unam dirigi, 1. Ethic. c. 2. quod felicitas sit quid perfectum, quia optimum, lib. 1. Ethic. c. 2. quod autem est multiplex, non potest esse non imperfectum, quandoquidem quod multum est, non constituit, sed dissipat, dissipatio autem est imperfectio. Cum verò ex electione actionis virtutes habeant, quodcunq;*

habent, non ex actione lib. 3. Ethic. c. 2. nemo etiam negaturus sit, hominem non minùs confirmandum erga se ipsum, quàm erga alios. Est enim, ut ille canit, Ardua res vicisse alios: victoria major Est, animi motus composuisse suos. unde etiam à Platone omnium victoriarum tum prima, tum optima dicitur vicisse se ipsum: nemo etiam non dabit, hominem, ut in se est temperans, sic etiam erga se esse justum.

II. Vt verò quod res est appareat, hypotheses facient, qualium I. *Disciplina quævis consideratur vel ut est absoluta in sese, vel ut refertur ad alias.* Sic physica consideratur tum respectu sui ipsius, ut est absoluta scientia, tum comparata ad medicinam, quomodo huic principia subministrat. II. *Quælibet disciplina finem habet tum absolutum, tum comparatum.* Sic physices finis absolutus est scientia, comparatus principia subministrare medicinæ.

III. E-

III. *Ethica à politica omnino est discernenda, quod bonum unius à bono differt communi lib. 1. Ethic. c. 2. unde & honestum & justum* καλὸν καὶ δίκαιον *distinguuntur lib. 1. Ethic. c. 4. ex quo & vir bonus à cive bono differet. Cum autem scientiæ non distinguantur principijs, Scaliger Exercitat. 256. sed fine, Scaliger ibidem. Et Zabarella lib. 3. de methodo c. ultimo, Ethica aut una, & eadem erit cum Politica: aut si differt, finem habebit proprium, quo differt.*

12. *Jam colligo 1. Ethica consideratur vel absolutè, & in sese: vel respectu quodam ad Politicam, & Oeconomicam. Etsi enim hoc concedatur, non posse hominem in civili vita solum considerari, considerabitur tamen & in sese, & seorsim. 2. Absolutè considerata finem habet propinquum, relatè verò remotum. illo modo virum bonum facit: hoc verò principia substernit civili facultati. imò fundamentum ponit, & domus, & civitatis. unde etjam 1. magnorum moralium tum pars*

dicitur, tum principium, μέσῳ καὶ ἀρχὴ totius facultatis civilis.

13. Sic assero 1. ne ad eos accedam, qui duplicem tantùm finẽ virtutis faciunt, alterum ad domum, alterũ ad civitatem Zyvin. 2. plego. 2. ne omninò Ethicã aut eũ civili doctrina confundam, aut ab eadẽ distrahã. cum juxta Ciceronem nulla sit vitæ pars, neq; publicis, neq; privatis, neq; domesticis in rebus, neq; si tecum agas quid, neq; si cum altero contrahas, quæ vacare officio possit, cum in eo colendo sita vitæ sit honestas, & in negligendo turpitudo lib. 1. offici.

14. Neq; tamen concesserim hos libros omninò sese habere ad civilem doctrinam ut libri acroaseos ad physicam, cum quæ subjecto differunt, ordine, & fine, non possunt eodem modo sese habere. Neq; enim scientiæ practicæ sese habent ut contemplativæ, quod hæ cognoscũt res æternas, illæ etiam agunt res agendas. eaq; propter practicæ compositum in sua principia resolvunt, contemplativæ ex principijs compositum extruunt. Quod si jam verum

rum est, quod objicitur, contrà omnium sententias, & ipsam adversus veritatem, verum erit Ethicam conscriptam methodo συνθετικῇ non verò ἀναλυτικῇ. Non repugnabo autem, si convenientiam velis analogicam.

15. At verò Aristotelem hic quis reprehendat, quando virum bonum à cive bono sejungit? quod etsi alterius erat loci, tamen ne hæreamus, sic vindico. I. Non omnis qui civis nomen gerit, aut qui in civitate est, sive ibi sit natus, sive ea donatus, civis est, lib. 3. politicorum c. 3. non qui jus habet accusandi, aut defendendi, sed qui particeps est & judicij, & magistratus, πολίτης δ' ἁπλῶς ὁδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον, ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς lib. 3. politic. cap. 1. II. In civitate multi sunt viri boni, qui judicij & magistratus non sunt participes: Sunt contra multi cives boni, qui interim non sunt viri

viri boni, lib. 3. politic. c. 3. Nam ut nauta bonus est nauta, si modo ad communem salutem clavum regat, qui navigant, ipse sit pessimus: sic etiam civis bonus est, qui ad salutem communem vivit. virtutem enim viri boni necessariò ad Rempublicam referri oportet, etiamsi suam negligat. Aristot. ibidem. III. Cum multi sint cives, varia officia, virtus etiam boni civis erit varia; cum boni viri una sit, eodem c. Ex quibus obtinemus quod erat assertum.

16. Adhæc cum civis bonus, necesse sit, posse parere, & imperare lib. 3. politic. c. 3. bono autem viro sufficiat, si modò se ipsum benè regat, subsit alijs, quomodo etiam à Platone philosophi dicuntur cives inhabiles, cum tamen ipse Plato non sit negaturus, eosdem esse viros bonos: virum bonum nunquam decebit circumvenire, & fallere, civi autem bono aliquando non solum licebit, sed etiam Reipublicæ erit salutare.

17. Ipsa pro nobis sese hic expediret Respu-

Respublica, nisi alterius id futurum esset artis. Pro hac autem respondebunt Cassius apud Tacitum, & Jason apud Plutarchum. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplū, quod contra singulos utilitate publica repēditur, ille habet. Necesse est in parvis negocijs à justitia nonnunquam deflectas, si in magnis justitiam sis administraturus, hic monet. Ex quo mihi quidem, etsi non futurus sit vir bonus; attamen nec malus civis videtur Q. Fabius Labeo, quod cum arbiter Nolanis, & Neapolitanis de finibus agri à senatu daretur, cum utrisq; separatim loqueretur, ne cupidè quid agerent, nec appeterent, atq; ut regredi, quam progredi mallent, & cum utriq; idem feciſſent, aliquantum agri in medio relinquentes, fines terminaret, sicuti dixerat, relictum in medio agrum Populo Romano adjudicans, Cic. lib. 1. officio. Ut namq; viri boni non est decipere, ita civis boni Rempublicam conservare, & promovere, ni modo id fiat summa subditorum cum injuria.

18. *Sed hîc nobis occurrant cum Lipsio lib.*

pſio lib. 1. civilis doctrinæ cap. 1. ſanctio-ris notæ cives, & de ſe nequaquam civis boni nomen circumferri velint, ni ſimul & ſint viri boni? Quibus equidem tantùm abeſt à nobis ne ſubſcribatur, ut etiam applaudatur. Verùm cum Reſpublica non ſit eadem, ſed varia, & diverſa, varij etiam, & diverſi requiruntur cives. ex quo etiam laudantur tum Princeps lib. 3. politicorum c. 3. quod & vir bonus & civis bonus, tũ Optimas, quod hîc & cives boni, & viri boni omnes. eodem in loco. Vbi enim uterq; inveniatur, ibidem & laus major, & ſalus.

19. *Verum enimverò ne extrà ripas Scapha noſtra diutius vagetur, retorquenda erit, quod dum fit, Symperaſmatis tertii loco ſic colligimus:* III. Ethica eſt Philoſophia practica, actiones hominum ad honeſtatem conformans, ex Euſtratio, ut civili ſocietati fundamentum ſtruatur.

III. Definitio.

20. *Equidem, quæ reliquæ afferuntur definitiones, aut finem proximum prætermittunt:*

eunt: aut civilem scientiam cum Ethica, seu totum cum parte conjungunt: aut partem pro parte ponunt. Ubi etiam nil morabimur Platonis discrepantiam ab Aristotele, quod hic in actione tantùm ponit virtutem: ille verò & in judicio, & in actione. quod ille ultimum finem, & principalem tantùm: hic verò & minus principalem, & proximum: sed potius ad sympersma quartum properamus. IV. Ethica, quæ inscribitur Ἀριστοτέλους ἠθικὰ Νικομάχεια, ab Aristotele parente, non à filio Nicomacho conscripta. *Etsi Cicero statuat contrarium lib. 5. de finibus, Patricius discuss. peripat. lib. 3. & 4.*

cui finis cum judicio impetrare. de regno

IV. Autor doctrinæ Ethicæ.

21. *Quod ut stet solidum sequentib. præmunietur hypot. I. Judicium hominis nõ est ita validũ, ut non aliquando erret. Cum etiam religiosissimi non rectè judicent, Demosth: contra Aristotel.* II. *Quare etiam iniquum est, de altero judicare velle, & judicari de se*

de se nolle, *Augustinus*. *III. Aliud est judicare, aliud dubitare. IV. Jam in numeris Græcorum facilis est lapsus. cum sæpè negligentiùs describantur, sæpè etiam negligentiùs emendentur. Augustinus lib. 15. de civit. Dei c. 3. V. Possunt non pauca hoc modo approbari, quæ tamen diversa ratione improbentur. VI. Parentes quo viciniores sunt morti, eo longius à filijs absunt, quo etiam curam eorum habent magis avidam. Terentius in Heautont. Nam mihi quidem quotidiè augescit magis de filio ægritudo: Et quantò diutius abest, magis cupio, tantò magis desydero. VII. Sæpè cujus nomini res inscripta, ab eodem denominationem suscipit. Hinc per Timæum, & Parmenidem Dialogi Platonis, hoc titulo.*

22. *Quod si jam Ciceronis opponitur autori-*

autoritas, prima erit arripienda hypothesis. quippe qui ut Piccolomineus ostendit in Aristotele non semel hallucinatus c. 13. in introduct. ad civil. Philosophiam, & gradu 8. c. 39. Quod si verum, tam judicio summum, erroris accusare calumnia regeritur? 2. succurrit: quam 3. tanquam oleum leniet, quod dubitet etc. non verò pro certo judicet, aut habeat. Non video cur non potuerit patri similis esse filius. Si quod libri hi non respondeant numero Laertiano? quod deest, quarta supplet. Si quod in politicis Talio dicatur conservare urbes lib. 2. c. 2. cum tamen in Ethicis dānetur? quinta excipit. quippe quod Talio improbetur in Ethicis ratione proportionis arithmetica, approbetur ratione geometrica. Si quod parens senex, filius verò adhuc puer, quare non verisimile sit parentem filio libros inscripsisse, cum nec dignatus sit Alexandrum Regem ita? ætatem amor addet, quem explicat sexta. Si denique quod Laertius, hos libros Nicomachios indigetet? ultima pro ratione est hypothesis. quibus

tanquam fulcrũ ſubjicienda, quibus Simplicius germanos à nothis diſcernit, in proœm. Categoriarum, Ariſtotelicos libros: 1. *ſcribendi ſcilicet character, & forma* 2. *doctrinæ ſimilitudo, & conuenientia* 3. *ſententiarum pondus, & præſtantia* 4. *argumentorum aculeus, & firmitas* 5. *peripatetic. conſenſio, & unanimitas. Ex quib. cum autor, tanquam ex pennis aquila, ex unguib. leo dignoſcatur, ſymperaſma quintum ſequitur:* V. Fructus hujus di-

V. vtilitas. ſciplinæ, etſi non ſit ſalutaris animæ, tamen ita copioſus, & accommodatus humanæ vitæ, ut, qui omnem velit enumerare cum Plauto, & face & viatico opus habeat.

23. *Ad primum hujus Symperaſmatis membrum notandæ ſequentes hypotheſes.* I. *Aliud eſt pietas, aliud eſt honeſtas. cum illa ad Deum deducat, cum à Deo proveniat: hæc verò ab homine initium ſumat, & ad humana deducat.* II.

Virtus

II. Virtus alia est cōpleta, quæ complementum, & perfectionem suam habet respectu perfecti principij, quod est vera Dei dilectio, & ultimi finis, qui est gloria Dei, & quæ non potest exerceri sine speciali Dei gratia: alia incompleta, quæ ex dilectione sui provenit, & in ea terminat, quam ex libero suo arbitrio, & sine Dei singulari gratia etiam exercuerunt Ethnici. III. Omne, quicquid sine fide est, peccatum est, Roman. 14. IV. Bonum divinum & spirituale non magis bonum tollit humanum, & morale, quàm Evangelij privilegium politia tollit legem. V. Virtutis operatio omninò secernenda à substantia, & operatio spiritualis à morali.

24. *Si ergò quæritur Ethnicorum virtutes, quo loco sint habendæ? Inter incompletas respondemus. Si quid velint? Non pietatem, nulla enim virtus extra*

gratiam Deum pro fine habet, sed tantùm quærit, quæ sua sunt. Beatus Luth. tomo 1. Genensi. sed honestatem. Anne ergò ad salutem? neutiquam 1. quod sunt humanæ. humana autem divina communicare nequeunt, quod imperfectum perfectissimum progignere non potest. 2. & quia sine fide. Ergòne prorsus malæ? Si operationem vis, eamq; non moralem, sed justificantem, malæ prorsus. Quid enim, inquit Bernardus, vobis Philosophia cum virtutibus, qui Dei virtutem, Christum, ignoratis, Serm. 31. in cantica. Ut namq; opus placeat Deo, fide opus est, unde nulla sunt, inquit Augustinus, nisi quæ sequuntur præcedentem fidem in psal. 67. Ex quo etiam ab eodem ipso eadem splendida dicuntur peccata lib. 18. de civit. Dei. quare Deo nauseæ. unde Lutherus tomo 1. Genensi. Justitia hominis, ut eam temporaliter Deus honoret optimis donis hujus vitæ: tamen coram Deo larva est, & hypocrisis impia. pagin. 543.

25. Sunt ergò moraliter bonæ? Et quo

quo ad substantiam sunt etiam donum Dei. Ex quo etiam à Deo rependuntur, unde Luthe tomo 1. Mirum problema est, quod Deus remunerat justitiam, quam tamen ipse reputet iniquitatem, & malitiam.

26. Equidem an in Christianorum schola tractari debeant, disputatione aperietur. Hoc tantum notabimus conferre hanc disciplinam tum possidenti virtutem, tum alijs. Possidenti sic, ut deducatur in sui cognitionem, hoc enim nosse (γνῶθι σαυτὸν) benè vivendi caput est: Et valetudinem conservat, quod affectus moderatur non naturales, quos magnam vim ad valetudinem habere testatur Galenus, in arte medendi c. 8. Respectu aliorum, quod ostendit quibus cum vivendum, & simul etiam vitam omnem fideliter informat. Quæ omnia cum non sint cognoscenda, sed agenda, quiescamus modò, & quomodò ad augustum virtutis phanum aspirandum, in posterioribus edisseremus.

Ethicotheologica.

I. *Quod Ethica humana ad vitam facit hanc temporalem consequendam, supra id Christiana hominem deducit ad æternam felicitatem tum cognoscendam, tum percipiendam. in hac enim vitam requirimus æternam. Joannis 5. v. 39.*

II. *Vt subjectum Ethices humanæ sunt actiones ad honestatem deducendæ: ita subjectum Ethices Christianæ Sunt actiones humanæ ad Dei voluntatem, & ipsius imaginem conformandæ.*

III. *Ethica humana propinquè circa actiones, quomodo concernunt hominem singularem, remotè verò, & principaliter civitatis felicitatem. Ethica Christiana propinquè respicit hominum singulorum, & universorũ salutẽ, principaliter Dei gloriam. Est enim hic principium à quo omnia profluunt, & finis in quem omnia refluunt. ex quo sese ipsum indigetat quod sit α & ω Apocalyps. 1. v. 8.*

IV. *Vt possunt esse viri boni, qui tamen nec sint cives boni, & contra: sic etiam dantur tum vir, tum civis bonus, qui tamen nec sit Christianus bonus: Sed non contra.*

Disputatio secunda

DE

PROOEMIO: ET QUATUOR nothis generibus boni,

Cum collatione quadam ad bonum divinum, & cœleste,

ad diem XIX. Julij,

Respondente

MICHAELE MARQUARTH
Gryphiswaldensi.

THESIS I.

IPsam jam conscendimus felicitatis humanæ navem, h. e. Aristot. libros Ethicos decem ingredimur, quorum primum tum Proœmio constat, tum ipsa tractatione. Proœmium autem tribus absolvitur capitibus, & colligit conclusiones VII. quarum prima est Id bonum est quod omnia appetunt. οὗ πάντα ἐφίεται. quod sit appetitu, vel Cap. I. Proœmij. 1. Symp.

naturali, vel sensitivo, vel rationali, propterea quod bonum rem perficit, quodcunq; autem sui appetit perfectionem, cum velit esse conservatrix sui, Cic. 4. de finibus. unde Scaliger Exercitat. 307. sect. 3. cuiq; animantium datus est appetitus salutis suæ, atq; conservationis.

2. Equidem cum scientiæ practicæ à fine sint inchoandæ, quod finis se habet ut actionis principium, à bono initium fit, quod id pro fine habent res omnes, & omnis doctrina, sive ea sit ars, sive scientia, sive prudentia, quæ sanè cum præsupponuntur bona, malum appetere neutiquam possunt, Ergò ipsum bonum.

3. Quæ ut stent firma, duæ notabuntur hypotheses: I. Bonum aliud est vere bonum, aliud φαινόμενον seu apparens, Arist. lib. 3. Ethic. 4. 2. Phys. 3. t. 21. II. Artes sunt vel ad summum bonum, & sunt artes veræ: vel à summo bono, & fine bono deflectunt, quæ non sunt artes, quod artium verarum est perficere,

harum

harum verò destruere, & à bono deficere. Quod si jam opponitur furtum appeti à fure, quod tamen sit malum? & sic non omnia appetere bonum, & hîc habes bonum, sed φαινόμενον. Si quod venefica ars malum pro fine habeat? aut cum Eustratio artem esse eam negabis, cum nec sic conveniat arti, ut homo mortuus homini vivo, etiamsi idem hoc concedatur ab Eustratio, quod homo mortuus & nomen retinet hominis, ars verò mala nunquam artis nomen meretur: aut bonum dices & hanc artem appetere, sed φαινόμενον.

4. *Verùm cum disciplinæ varient, variant etiam ipsi fines, & ipsum bonum. Ex quo secundo colligitur* II. Fines alij alijs sunt præstantiores. Symp. II.

Nam cum alij sint τὰ ἔργα opus, alij ἐνέργειαι, actus, in ijs disciplinis quæ opus relinquunt opus actu præstantius: quæ imperant ἀρχιτεκτονικαὶ, fines habent præstantiores quàm quibus imperatur, τῷ ὑφ' ἄυτῶν: finis ultimus præstantior medio & primo: finis ᾧ fini ὅυ.

Cap. II. 5. *Cum verè nec omnia eligimus* δι' ἕτερον *propter aliud, sic enim progreßio daretur* εἰς ἄπειρον, *& ſtulta, & inanis foret* ὄρεξις *appetitio, tertiò*

Symp. III. *colligitur* III. Finis inter fines reliquos datur aliquis ultimus, & poſtremus, τέλος ὃ δι' αὐτὸ βουλόμεθα, τὰ ἄλλα δε διὰ τοῦτο; *quem propter ipſum volumus, & alia propter eum, & hic eſt* ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον *bonum: addit Victorius ſummum: & optimum.*

6. *Hoc bonum, & optimum, cum ad vitam rectè degendam homini ſit, quod ſagittario ſcopus, in quem collimat, colli-*

Symp. IV. *gitur quartò* IV. Summi boni cognitio non tantùm non eſt vana, ſed maximè neceſſaria, ἡ γνῶσις αὐτοῦ μεγάλην ἔχει ῥοπήν. *Cum namq; id fruſtrà ſit, quod finem ſuum non aſſequi poteſt, 1. de Cælo. fine non cognito ab homine, ipſe etiam fruſtrà erit. Vt autem ſagittarij, ſcopum non attendentes, facilè aberrant: ſic homo,*

finem

finem certum sibi proponens, facilè quod vult, & oportet consequitur.

7. *Vt itaq; cognoscatur, scientia aliqua opus est à qua cognoscatur. Cum verò finis præstantior præstantioris oporteat sit principij: minus enim perfectum sub se continere non potest quod est summè perfectum, colligitur quinto* V.

Summi boni tractatio ad Politicam pertinet. Symp. V.

Hæc namq; 1. reliquis scientijs & facultatibus imperat, unde dicitur ἀρχιτεκτονικὴ μάλιστα, καὶ κυριωτάτη, *idq; certas & singulares artes ponendo: cuiq; civitati suam præscribendo: cujusq; artis finem circumscribendo. 2. sub se habet facultates maximè honorabiles, ut sunt Militaris, quæ quasi Reipubl. manus: Oeconomia, quæ Reipub. fundamẽtum seu pes. qui enim in Oeconomia felicitèr & rectè stabitis Rerum publicarum gubernatori felix jaciet fundamentum. Et Rhetorica, quæ quasi lingua civitatis & sermo, 3. tanquam medijs utitur scientijs practicis reliquis 4. ambitu suo fi-*

nes re-

nes reliquarum scientiarum continet §. Præscribit quid agendum & quibus abstinendum sit. Et denique bonum habet communius. Etsi enim quod unum perficit bonum est, & amandum: tamen pulchrius est & magis honorandum quod genti & civitati. Et hoc etiam bonum excellentius, quo enim bonum communius, eò est præstantius.

8. *Hæc corroborabunt hypoth. seqq.* *I. Res quo ad rem considerata possunt esse sub varia disciplina, quo ad modum considerandi sunt sub una lib. 1. de nat. Log. c. 15. Zabar.* *II. Rerum diversarum altera alteri in diversis potest præstare.* *Sic linx visu, canis odoratu, homo ratione.* *III. Aliud est imperare: Aliud ordinare & modum præscribere.* *IV. Aliud est imperare alicui, & alicujus gratia* τινὶ & χάριν τινός. *Summum bonum ergò est Metaphysices, quia Ens compa-*

comparatum cum mentium separatarum beatitudine. Physices, quo ad animi est affectio. Et Politices quoad humana industria, legibus certis definitum, est acquirendum Piccol. gradu 9. c. 8. Metaphysica autem præstat politicæ ratione principiorum, & subjecti, quæ sunt æterna: Politica ratione officij, quod imperet huic, non ordinando modum, & præscribendo ordinem quomodo uti deceat principijs: Sed præscribendo ex officio suo formam, in qua civitate: quibus: quam diu: & in quantum sit cognoscenda, Acciaiolus in hoc c. Quamvis ergò non in totum imperet (Geometra enim à Politico non postulabit principium ad conclusionem, sed ipse sumet) scientijs omnibus, imperat tamen harum causa, ut salvæ sint. Quamvis Aristotelem scientias practicas tantum hoc loci intelligere, communis est opinio.

9. Verum enimverò cum in omni scientia exacta necesse sit inesse hæc tria: Aristot. 1. poster. cont. 76. subjectum æternum, affectionem, & principia æterna: hæc autem in hac scientia non ita habe- Cap. III.

habeantur ἐξακτα. Proposita enim ei sunt honesta & justa, quæ τῷ νόμῳ solum consistunt non τῇ φύσει, & propterea nec æter-

Symp. VI. *na, concl.* VI. Summum bonum *cum non habeat exactam tractationem,* ea argumenta sunt assumenda quæ natura admittit. *Nemo enim à Rhetorico postulabit mathematica principia, vel exactam demonstrationem.*

10. *Cæterum cum id frustrà tentetur, quod ab impotente agitur, & nequaquam divinum hoc phanum illotis pedibus sit prophanandum concluditur.*

Symp. VII. VII. Juvenis à disciplina hac, ut inutilis auditor, est removendus. *Equidem cum quisq; rectè judicet de iis quæ habet cognita, actiones autem vitæ, quæ hic locum habent, juveni sint incognitæ, nec appetitum etiam recta ratione reget.*

11. *Quod ut penitius intelligitur faciet hæc hypothesis.* Ut *Juvenes alij sunt ætate seu annis, alij moribus & in-*

& *intemperantes* ἀκρατεῖς: *Ita senes alij sunt ætate qui tamen sunt juvenes moribus. Vt ergò vitium non est in tempore, sed in appetitu,* οὐ γὰρ παρὰ τὸν χρόνον ἡ ἔλλειψις, ἀλλα διὰ τὸ κατὰ πάθος ζῆν, καὶ διώκειν ἅπασα: *ita nec anni derogabunt virtuti, nec etiam quid ex sese superaddent. unde: Senecta non vacat stultitia. Menander:* πολία χρόνου μήνυσις, οὐ φρονήσεως: *canities temporis indicium, non prudentiæ. Ex quo intelligitur, & senes hic removeri, & juvenes admitti. Sed senes juvenilibus moribus: & juvenes moribus senes. Quicunq; enim ex ratione agit, non ex appetitu, huic utilis maximè est doctrina Ethica, & quæ in ea traduntur.*

12. *Hinc etiam facilè colligimus,* Non omnis juvenis, tanquam hujus disciplinæ magister, est respuendus: *Sed is demùm, qui sit moribus juvenis. Hic enim, cum, quò magis institutione extruxerit, eò magis moribus destruet, nec idoneus erit ad cognoscen-*

scendum, ne dum ad agendum. Cum enim moribus, & vitiis trahatur, vel quæ cognoscenda erant, vitiis excæcatus, non cognoscit; vel si quæ cognoscit, quæ retegenda erant, suum ob dedecus reticet. Ex quibus etiam videtur pejor auditore juvene. cum enim hic non semper agat; cognoscit tamen, etsi non ita exquisitè, in uno tamen deficit, cum ille in pluribus.

Tractat. *Plautus in Epidico. Profectò deliramus interdum senes.*

Cap. IV. 13. *Cum ergò constet finem actionum dari ultimum, & quomodo, & à quibus discenda, quæ ad eum deducunt, ipsa Tractatio Proœmium subsequitur, quæ ostendet, quid nam illud sit bonum. tum* ἀναστευασικῶς, *ostendo quid non sit, cap. 4. 5. 6. tum* κατασκευασικῶς, *& quid sit cap. reliquis. Et cum nomina sæpè numero nos provehant in rei perceptionem; Plato in Cratilo: omnibus autem conveniat, quod summum bonum dicatur* εὐδαιμονία *seu* ἐυπραξία, καὶ ἐυ ζῆν *benè agere*

Symp. II. *& bene vivere, collig.* I. Nomine sepositò quid sit benè vivere *est discutien-*

scutiendum. Cum enim nomina sint tantum signa rerum, in his oportet simus faciliores, si modò in rebus convenimus. de varijs autem boni nominibus. Piccolomineus gradu 9. c. 2. & 10.

14. *Equidem cum singuli homines benè vivere & benè agere, per id se arbitrentur, quo appetitu suo truduntur, sapè enim numero idem homo, cum ægrotat sanitatem, cum pauper est divitias, cum ignorans scientiam, hypoth. hæc præmittitur omnes de felicitate exquirere opiniones stultum est. Maximè ergò florentes, & quæ rationem aliquam habere videntur, ad quatuor restringuntur:* Ἀπολαυστικῶν *qui voluptatibus sunt sepulti, & voluptatem pro summo suo habent:* πολιτικῶν, *qui negocijs civilibus implicati, vel honorem, vel virtutem:* χρηματιστικῶν *qui pecuniam:* θεωρητικῶν *qui in contemplando, & cognoscendo versantur, Ideam.*

15. *Veruntamen cum duplex sit procedendi modus, & ordo, à principijs, & ad principia, seu à causa ad effectum, &*

ab effectu ad causam, qui dicitur λόγος, non aliter ac in stadijs, ab ijs qui præsunt certamini ad terminum; ab Athenis Thebas, Aristot. in physicis & contra:

Symp. II. *Concl.* II. Ethicam docturus vel cogniturus à notioribus progrediatur oportet. atq; adeò legitimis moribus sit benè instructus. *quod ultimum ut fiat vel ipse ex se agat, quæ sunt honesta: vel alios audiat honesta monentes: Pla: de mero aquæ miscen. Deus furens ab alio Deo sobrio temperatur. Qui verò nihil ex se habet: & alios respuit monentes inutilis ad hanc scholam plane erit.*

Cap. V. 16. *Ne ergò pro fine habeat quod non est finis, nec prosequatur quod destruit, concl.* III. Neque voluptas, neq; honor, neq; virtus, neq; pecunia, neq; Idea felicitas est habenda. *De voluptate autem, quod pecorina hæc, ultra nihil agitur, si verò omnis ne mala quæratur, hisce obvenimus*

Symp. III.

1. volup.

hypoth-

hypot. I. Voluptas alia ex eventu est, & impura: alia sua natura, & pura. II. Voluptas alia oritur ex sensu & ijs quæ circa sensus: alia ex virtute, Piccolom. gradu 9. c. 15. Omnis ergò voluptas quæ ex eventu est: & ex sensu quæ habet nimium, aut parum, prava est lib. 7. c. 9. Eth. Quæ ex virtute, quod homini hæc convenit per naturam rectè conformato, quod syncera, quod pura, quod defecata est, bona est omnis sive illa concipiatur ex contemplatione, sive ex actione lib. 7. Eth. c. 12. & lib. 10. c. 3. quamvis non summum bonum, sed boni affectio. Quod si magnatum, & aulicorum objiciuntur exempla: hypoth. hæc subvenit Non est judicandum exemplis sed legibus: non moribus sed rationibus.

17. Quod verò nec honor: id hac ex hypoth. convincitur. Felicitas est bonum οἰκεῖον proprium, ἀναφαίρετον II. Honor.

sublatu difficile, & αὐταρκες, quod sese ipso est contentum. Quod verò honor non sit bonum αὐταρκες ex eo liquet, quod expetitur non propter se, sed propter virtutis evidentiam. quod sit ἄφαιρετον tum patebit quando demonstratum fuerit, quod sit ἀλλότριον, & honorantis potius quam honorati.

18. Vbi observandæ hypoth. hujusmodi. I. Honor aut est præmium virtutis, unde lib. 4. c. 3. definitur officium debitum virtuti, ejus meritum repræsentans: aut signum virtutis: aut honesta actio. II. Aliud est inesse & aliud videri inesse. Vt virtus itaq; est possidentis, sic etiam præmium, ex quo rectè dicitur honor est honorantis. 2. ut signum non est, nisi sit à quo recipiatur, & à quo emanet: sic honor nec est, nisi sint à quo, & cui conferatur, quomodo est tum honorati, tum honorantis. 3. ut verò actio non est nisi agentis causæ, sic honor non est nisi honorantis: Piccolomin. gradu 8. c. 32. seu ut brevius:

vius: *in honorato est materialiter, in honorante formaliter. priori modo* δυσαφάιρετον, *etiamsi non semper eodem modo luceat. posteriori* ἀφάιρετον. *unde Aristot. non simpliciter dicit inesse, sed videri* δοκεῖ *inesse in honorante.*

19. *Neq; virtus. Cujus hypothes.* III. Virtus *Felicitas non est in dormientibus, ociosis, malè affectis, calamitate pressis, seu miseris. in quibus tamen virtutem reperiri nemo negabit. Quod equidem ut ubiq; verum sit, hæ declarabunt hypoth. I. Felicitas consideratur vel quo ad* ἕξιν *habitum, vel quo ad* πρᾶξιν *actionem Piccolom. gradu 9. c. 14. II. Felicitas spectatur vel quo ad essentiam, vel quo ad Existentiam, & Eminentiam. Ex Piccolomini gradu 9. 30. c. Essentia consistit in actione proba, quæ neutiquam in dormiente, & ocioso. Contrarium enim ita contrario inesset, quies motui, motus quieti. Est tamen in his quo*

ad habitum, alias enim in omni quiete virtus aboliretur. Existentiæ eminentia consistit in bonorum affluentia, quomodo nec est in malè affectis, nec in miseris. Piccelomin: gradu 8. c. 9. Quibus tamen nec actio virtutis in universū deroganda, quod ex animo, non ex magnitudine, actiones mensurandæ. Quum insuper adversus virtutem possint calamitates, quod nubecula adversus solem, Seneca. 93. Sermo.

IV. Pecun. 20. *Nec pecunia. Cujus hypoth. Felicitas non ἐστὶ βίαιόν τι, & tantum propter se expetitur, non propter aliud. divitiæ autem violento & congeruntur, & retinentur modo. multos etiam ad violentiam redigunt. Quod tamen cum ex usu malo quis regerat ἐχορίζειν? nec per se expetuntur, sed propter aliud. Sunt tamen nec omninò malæ. quod virtus sine fortuna non totum hominem perficit, cum animo enim & corpus perficiendum, & verè beatus ille, qui opes, & mentem possidet, ut elegantèr Poëta Pindarus.*

IV. Idea Cap. VI. 21. *Neq; demum Idea. Vbi nec quærimus*

rimus an affinxerit quicquam hic Arist. præceptori. qui & ipse sibi, & amicis, qui tamen sal vitæ, Vives in satellitio: & omni possessione meliores, Erasmus in apoph. prætulit veritatem, δεῖ ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τὴν ἀληθείας τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν: ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Quasi, quod argumentum Scaligeri Exercit. 6. sect. 4. ea ijs scripserit temporibus, quæ non ab omnibus recepta Platonici publicè profiterentur, nec enim adversus hominem de universa sapientia benemeritum nos acuemus: sed hoc notabimus, num etiam Idea quædam detur, & si detur num etiam ea sit bonum summum?*

Conclusio ergo 1. Idea Platonica nulla datur. 1. Concl.

22. *Vbi valebit hæc hypoth.* τὸ καθόλου, *hoc enim Idea Aristot. est* πρὸ τῶν πολλῶν, ἐν τοῖς πολλοῖς, ἐπὶ τοῖς πολλοῖς. *Ante multa* προτογενὲς: *In multis, genera & species: Post multa,* δευτερογενὲς *cõceptus in mente, quæ omnia, & Plato, & Aristot. dederunt, negavit Antisthenes,*

ἄνθρωπον μὲν ὁρῶ, dicebat ἀνθρωπότητα δ' οὐχ' ὁρῶ, sed Plato: Oculos habes, mentem non habes.

23. De primò tamen lis est. Plato, juxta alios, vult extare quid sub Lunæ cõcavo, aut alibi, quod ab õnibus sit segregatũ rebus, sed tamen communis forma. Arist. esse quidẽ causam primam sed hanc non esse cõmunẽ formã, quod forma non sit extra res, sed in rebus ipsis, nec etiam summum bonum, hisce hypothesibus. I. Quicquid existit πᾶν ὕπαρχον, illud individuum est, & singulare 2. metaph. 4. II. Omne commune præsupponit verum communitatem, juxta ipsum Platonem. Ergo & Idea III. Communis Idea unam eandemq; habet definitionem. Ex quo, cum bona habeãt prius, & posterius, ut esse hominẽ, prius est, quam esse doctũ quod substantia prior accidente, nec conveniant in una forma, tũ per se bona, tum ppter alia: non habeant eandem definitionem: nec etiam singulariter cõmunis Idea existat. res n. non nisi forma propria

propria existit, nec etiam extra res erit.

24. *Ne verò quid ex affectibus videatur afferre autor Concludit.* II. Etsi detur communis Idea, hæc tamen non erit nostrum summum bonum. *hac hypoth. Bonum summum à nobis potest comparari, est in nobis, & valet ad agendum. Quæ cum Ideæ non conveniant stat sententia prior. Quod si verò Idea idem sit, quod Mens Divina, quæ sentet. Augusti. 12. de civit. Dei cap. 26. Plutar. lib. 1. de plac. philos. cap. 10. juxta quam firmata & conformata omnia, hoc bonum quis sibi non sit optaturus. ex hoc namq; omnia incipiunt, in hoc omnia bona desinunt.* Concl. 2.

Ethicotheologica.

I. Vt Ethica humana bonum aliquod ostendit humanum, ubi consistendum est: sic Ethica Christiana divinum ostendit bonum ultimum, & primum, ultra quod

non licet progredi, nec infra consistere.

II. Vt bonum humanum aliud est natura bonum, & unum, ad quod pauci contendunt: aliud opinione, ad quod excæcati plures proruunt: Ita bonum, quod divinam ad felicitatem, est vere bonum, & unum, Deus Vnus, & Trinus, cujus in cognitionem pauciſsimi deveniunt, ne dum in possessionem, quod tamen opinione hominum, & idololatria fit varium, ad quod toto cum impetu mundus totus ruit. Vnde ipsum conqueritur summum bonum: filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos dominum suum, & asinus præsepe: Israel autem me non cognovit, populus non intellexit Esaiæ 1. v. 2. & 3.

III. Vt fines ad felicitatem civilem sunt medij, sic etiam ad æternam, & celestem. Quamvis enim unum medium, quod unus mediator, homo Iesus Christus 1. ad Tim. 2. non tamen nisi per media hic nobiscum agit, per quæ, tanqnam per gradus, ad æternam felicitatem, quam ille solus nobis comparavit, & reparavit, hominem elevat.

IV. Vt

IV. Vt bonum humanum revera homini competit: sic etiam divinum, & eo magis: sed modo diverso. Bonum humanum internam habet in nobis διάθεσιν, & comparatur actionibus nostris 2. Ethic. 1. inest homini formaliter. ad bonum autem celeste plane mortui sumus, & quod eo fruimur solius Dei est, ex cujus gratia, & dono per meritum Christi sumus salvati, non ex nobis Ephes. 2. ex quo justitia in nobis non est formaliter, nec habitualiter, sed relativè, Pelargus in Schola Christiana loco 17.

V. Vt cognitio humani boni non facit felicem, sed actio: Ita cognitio divini boni non facit salvum, nisi accedat Spiritus S. illuminatio, & in Christum fiducia, & ex fide operatio. Et ut non est futurus Ethicæ humanæ utilis auditor, qui appetitum regere nequeat: ita nec utilis Christianæ Ethicæ auditor, aut doctor, qui sub fide rationem non sit captivaturus. Sapientia enim nostra in divinis summa est stultia. Romano 1. v. 22.

DISPV-

Disputatio tertia

DE

VERO ET GENVINO Bono summo,

Cum collatione quadam ad bonum divinum & cœleste,

ad diem XXVI. Julij,

Respondente

OTHONE TANCKEN VVismarienſe Megap.

THESIS I.

Cap. VII. *DVbitationum solutio, veritatis est inquisitio 7. Metaphy. aliorum ergo placitis de summo bono remotis, ipsa ex se patebit veritas: quæ tamen ut fiat evidentior, jam quid sit summum bonum ostenditur ida definitione duplici, quarum prima quasi per gradationem investigaetur. I. in quatunq; actione & arte is finis bonum, quujus gratia omnia*

omnia 2. *Et cum fines sint plures non omnes possunt esse perfecti. multitudo enim importat imperfectionem, sola unitas est perfecta.* 3. *Is tamen qui est optimus perfectus erit. Perfectum enim, unum, ens, cum optimo convertuntur:* 4. *qui etiam futurus est extremus propter quem omnes expetuntur, ipse verò propter nullum. Ex quibus Conclud.* I. Summum bonum est bonum ἀκρότατον καὶ τελειότατον τῶν πρακτῶν. Symp. L.

2. *Equidem distinguendus erat finis ultimus hîc tùm à cæteris finibus, ex quo dicitur extremus: tùm à cæteris bonis, ex quo dicitur bonum perfectissimum. Propterea namq; est* ἀγαθὸν ἀκρότατον *quod est* αὐτάρκες *se ipso contentum:* τὸ μηδενὸς ἐνδεὲς *nullius rei egens: Et quod non potest melius reddi.*

3. *Quæ ut stent firma hypp. subjungendæ.* I. *Perfectum aliud est absolutè, quod nec principium habet, à quo pende-*

pendeat, nec finem, quo tendat, nisi à se, & ad se: *Aliud comparatè*, quod quidem principium habet à quo, & finem ad quem, sed tamen in suo genere est ultimum, & perfectum. *II. finis alius est* οὗ, *alius* ὦ, *cujus*, *& cui. III. Aliud est reddi melius, aliud splendidius, si quidem illud est substantiæ, hoc verò accidentis. Quod si jam opponitur: nihil esse perfectum prater rerum omnium causam, summum bonum, Deum? prior respondet hypoth. Si quod felicitas propter hominem expetatur: Ergo non propter se? secunda solvit, quod quidem homini expetatur, sed non nisi propter se ipsum. homo enim non est finis propter quem hic finis: sed subjectum cui hoc adjunctum. Si deniq; quod Aristot. dicit bonum summum si sit cum bonis conjunctum* ἐν ὑπερόχῃ *esse, itaq; & melius? non quo ad substantiam, sed quo ad accidens, & pulchritudinis evidentiam.*

4. *Verum enim verò cum ordo postulet, ut processus fiat* ἀπὸ τοῦ ὅτι *ad* διότι

defini-

definitionem ex conditionibus, sic nominat Acciajolus, collectam certis, & inseparabilib. probabit ea quæ est ex ipsa essentia. Cui viam præparabunt hæ hypoth. I. Hominis bonum in opere est, quod cujusvis artificis bonum in actione, & ocioso alicui bonum non tribuitur. II. Hominis bonum non est nisi actio, quod opus ejus est actio. III. Hominis proprium bonum est inquirendum, ex quo & propria actio. quare excludentur vires plantarum, facultates brutorum, & relinquentur actiones τῆς ζωῆς λόγον ἐχοντος, & ejus est in πράξει. Cum verò & vitia quævis, etsi non cum ratione, tamen ab appetitu rationi subjecto exerceantur, IV. Summum bonum non erit nisi in actione cum virtute conjuncta. V. Et cum una hirundo non faciat ver, ac id ipsum quod perfectum est, necesse sit habeat perfectum principium,

cipium, nec impediatur in tempore, & motu, usq; donec ad perfectionem veniat, colligitur II. εὐδαιμονία ἐστιν ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ

Symp. II.

Actio animi secundum virtutem perfectam in vita perfecta.

5. At verò non levis hic suboritur dubitatio, & primo, quid sit per virtutem perfectam intelligendum. Alij enim prudentiam: alij sapientiam: Alij virtutes omnes conjunctim ad cujus cognitionem veram seqq. præsupponimus hypoth. I. Universa felicitas est hoc loci definita non pars, quod finis communis erat explicandus, non verò singularis. II. Quod universo competit, id ad singulare non est restringendū. Sic enim cum homo dicatur animal, leo non essee animal. Qui ergò vel sapientiam, vel prudentiam, excludere videntur virtutes morales: qui prudentiam, virtutes

tutes morales: qui prudentiam, virtutes contemplativas. Ex quo locum hoc in sensu habebunt virtutes tum practicæ, tum intellectuales omnes.

6. Secundò quid sit vita perfecta? Caserta Episcopus per vitam longum tempus, per perfectum omnis generis intelligit bona, quorum primum etsi concedipoterat, quod expresse dicitur, μια γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ μία ἡμέρα una hirundo non facit ver, neq; una dies facit felicem: tamen posterius concedi nec debet nec potest, fortuna enim non est de essentia summi boni. Intelligetur itaq; tum ætas perfecta: ex quo puer non est felix, quod imperfectus, & quo ad procreationem, & quo ad judicium & actionem: tum perfectum tempus, quod felix aliquandiu in virtute vixisse debet, nec in vitæ suæ termino impediri Piccolom. gradu 9. cap. 29.

Cap. VIII.

7. Verum enimverò definitionem hanc veram esse ex omnium etiam constare poterat assensu. idq; hypoth. hisce convincitur. 1. Omnes ferè fatentur summum

mum bonum in actione esse, non in ocio, & in actione animi, non corporis. Cum enim tria sint bona, Fortunæ: corporis & animi, idq; bonum summum sit, quod est præstantius, in præstantiori idem quærendum erit subjecto, quod est animus. nec etiam in omni actione, sed ea demum quæ est virtutis. ut namq; in olympijs non pulcherrimi & robustissimi coronantur, sed certantes, quia ex his aliqui vincunt: ita felicitatem possidebunt, non qui sunt virtuosi, sed qui ex virtute agent. II. Omnes fatentur summum bonum in voluptate esse positum: in pulchritudine: & in bono. hæc enim semper sunt conjuncta, nunquam disjuncta III. Et deniq; omnium est sententia communis summum bonum esse cum fortuna bonis conjunctum, ἀδύνατον γὰρ ἢ οὐ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πρᾶξαι ἄχορήγητον ὄντα, quod felix est sine opibus,

bus, quod aquila sine pennis, quod, qui à fortunæ bonis non adjuvatur, eidem desint plumæ ad ornatum, & alæ ad volatum. Pontanus lib. de Fort. c. 24. quod tamen cũ verũ sit de adjumento, ornamento, & instrumento, non verò de natura & causa efficiente. ut declaratum disput. præcedenti, cætera cum definitione convenient. Ex reliquis bonis alia necessario insunt, puta sensuum integritatem, commodum temperamentum, veram & rectam Valetudinem: alia adjuvant, & utilia sunt ut instrumenta Arist. hoc loci.

8. *Quæ ut tamen sint manifestiora causæ erunt indagandæ, ubi conclusio talis esto.* III. Summum bonum non contingit homini per fortunam, sed à Deo initium habet, & per humanas acquiritur actiones, *quod distinguent hypoth. seqq.* Cap. IX. Symp. III.

I. Fortuna aut est Numen à cujus nutu, quæ præter intentionem humanam, aut causam aliquam naturalem contingunt, pendent & promoventur:

Aut causa per accidens eorum quæ contingunt, in ijs quæ per electionem alium intendunt finem. Arist. lib. 2. phys. c. 5.

II. Fortuita, & quæ sunt ex accidenti considerantur aut ratione nostri: aut ratione Dei. III. Causa propinqua & minus principalis à remota & principali omninò secernenda & universalis à particulari.

9. *Jam ergò distinguo.* 1. *Fortuna ut Numen nullo modo datur, quod unum est principium, à quo omnia pendent, non duo aut plura. Ex quo nec beatitudo ex Numine tali.* 2. *Fortuitum ratione Dei nihil est: sic namq; extra Deum aliud esset principium, quod omnis fortuiti principiũ est extra princ. cum intentione agens. Ratione autem nostri fortuita sunt plurima, quemadmodum is qui fodit agrum ad serendum, extra tamen intentionem & electionis finem invenit thesaurum.*

Sed

10. *Sed tamen nec sic bonum in homine est, quod sic evinco.* 1. *Fortuna sine intentione est, felicitas autem cum electione.* 2. *Cum in nulla re sive ea sit naturalis, sive artificialis quid sit egregium, quod non fiat secundum artem, vel naturam, nihil etiam virtutem sapiet, quod ex fortuna est, & non ex virtute.* 3. *Ignobilis causa, qualis fortuna, nobilissimum effectum, quale felicitas, procreare non potest.*

11. *Vt verò nec datur respectu Dei fortuitum, sic etiam nec fortuitò & sine Deo quisquam de felicitate participat. Cum enim minora bona ab hoc proveniant, certe etiam nec propter ejus nutum erit id, quod est inter humana maximum, & summum. Et cum tamen non sit* θεόπεμπτον, *missum à Deo (labore enim sua bona Di habent venalia) sed humana industria acquisitum, à Deo erit tanquam causa remota, universali, & principali,*

ab homine ut causa proxima, particulari, & minus principali. Hinc à Platone dicitur θεοδοτον *datum sive donatum à Deo* θεια μοῖρα *sors divina. Ex quo Cic. 2. De Natura Deorum. Nemo magnus sine aliquo afflatu divino unquam exstitit. Et Scaliger Exercit. 307. Deus docet, irradiat, & adsistit qua tamen magis theologica quam Politica.*

12. *Ex quibus & porisma hoc exurgit.* Neq; bos, neq; puer de felicitate participant. *ubi hæ valebunt hypoth. I: Ad felicitatem acquirendam vel possidendam, requiritur tum ratio, tum rationis usus. II. Aliud est revera, & actu esse felicem: aliud potentia, &* διὰ τὴν ἐλπίδα, *propter spem. Primo ergo in limine bruta excluduntur à ratione. hac enim si participarent, & miseriæ humanæ essent participes, & simul in consortio essent divinitatis. Quod si autem opponitur pueros habere rationem, ex*

quo

quo sint felices, altera tamen parte cum destituantur, usu scilicet rationis, & felicitate destituentur. Quod si elucere insignia quædam & præclara virtutis in his indicia deprehendantur? non tamen revera, & actu habebuntur felices, sed potentia & διὰ τὴν ἐλπίδα.

13. *Ad horum illustrationem Sympera-* Cap. X.
smata quædã adhuc colliguntur quorum. I. IV. Symperasma.
Homines felices in hac vita etjam ante mortem dantur, *quod si enim felicitas causa datur, virtus scilicet & virtutis etiam actio, quod concluſum est, quis negabit? Solonis forte sententia? Scilicet ultima semper expectanda dies homini, dicique beatus Ante obitum nemo supremaq; funera debet.*

14. *Ad cujus refutationem hæc faciunt hypoth. I. Felicitas alia est theologica, alia civilis. II. Felicitas consideratur, vel ut est quid absolutum, & perfectum summè, vel ut comparatum ad aliud. Absolutũ dico ut Deus, comparatũ ut homo*

Juxta theologicum ergo finem homines in hac vita vel sunt miseri semper, ut impij, vel felices, sed inchoativè, ut regenerati & pij. ut enim improbo nemini potest bene esse Cic. 3. paradoxo. sic bonus vir & sapiens miser esse nemo potest. Juxta finem politicum absoluta felicitas non cadet in hominem; sed comparata, & in suo genere.

15. *Quæ diximus hypp. seqq. suffulciunt. I. Non ex fortunæ volubilitate sed ex actione virtutis felicitas constituitur. Vt virtutis namq; laus & decus in actione consistit, 1. offic. sic eadem est in sua potestate, non est subjecta dominationi fortunæ. Altißimis est defixa radicibus, quæ nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco. hinc Seneca: Subjecta nulli mentis, atq; animi bona II. Aliud est fulgore privari, aliud penitus destrui. Si ergo opponitur neminem in hac vita omnibus dari abundantem copijs? prima subit. Si quod contra miseriæ magna, & summæ? quam vis hæ impediant felicitatem,*

tem, eam tamen minime tollent, 1. quod fortunæ non est ut benè vel malè virtuti sit 2. quod causa ejus quæ est virtus stabilis 3. quod vir virtuosus semper ex virtute agit 4. Et quod τετράγωνος. Et ut Eustratius βέβαιος καὶ σάσιμος. Semper ac firmitèr stans & ubivis se habet benè. A Stoicis namq; dicitur vir Rectus, quod sicuti linea recta nihil habeat curvi, sic quævis in eo sint recta & æqualia. A Virgilio Rotundus, quod amat & prosequitur æqualitatem: fugit & odit extremè inæqualitatem: Sed Rectius hoc loci ut & 1. Rheto. 10. τετράγωνος quadratus, quod ubicunq; cadat fortuna ipse tamen stet immotus & firmus, ut namq; figuræ quadratæ corpus, angulorum conformitate æquali, in quodcunq; latus si moveatur, perfecta habitudine consistit, ita & vir bonus in omnes fortunæ vices, procellas & rerum humanarum jactus animi constantiam eandem tuetur. ut exponit Politica Ioachimi Stephani D. c. 4. Sed tamẽ hoc idem ex stoicorum potius sententia, cum Ethicorum 1. c. 7. 9. & eũ dixisset etiam σπουδαῖον, honesti studiosum.

Cap. XI. 16. *Et hoc eò potius verum est quod contrarium falsum, post mortem vel quemvis esse felicem.* 1. *quod nemo mortuorum agit secundum virtutem in quo tamen hæc felicitas.* 2. *quod &* Concluſi. V. Sympet. *II. Etiamſi aliqua ſit in mortuis felicitas, eadem tamen à calamitate poſterorum patietur. quod cum amicitia nec in morte tollatur, nec res etiam communes, ſive eæ ſint calamitoſæ ſive proſperæ.*

17. *Quod ut ſtet Ariſtot. hypot. præmittimus? Æterna noſtra felicitas nequaquam confundenda cum humana Ariſtotelica. II. Ab Actione virtutis præmium eſt ſecernendum. III. Poteſt quidpiam alicui contingere unde fiat obſcuratio, nec tamen fiat eſſentiæ ſublatio, ut nubes oppoſitæ ſoli. Jam ergo cum Ariſtot. nihil conſtiterit de ſalute æterna, nec de felicitate, nec de præmio virtutum, quod per Chriſtum bene ope-*

ne operanti est partum, non ab homine pmeritum statuere certi quid potest. cum a. tollatur virtutis actio, tolli etiã ipsam felicitatem necesse est sed tamen cum fuerint felices, in vica & calamitates posterorũ ratione amicitiæ pertineãt ad defunctos, non tamen tantæ erunt, ut statum mortuorum immutent, etiamsi memoriam felicis aliquo modo obscurabunt.

17. *Sed hic non levis oritur dubitatio* An etiam post mortem abolea-tur ipsa felicitas civilis? *Videbatur idem affirmare Aristot. lib. 12. Metaph. c. 39. summum bonum homini ad exiguum competit. Contra videtur hoc loci negare, quod negat tolli id posse ex calamitate posterorum, possit tamen obscurari. quod n. non est illud non potest obscurari, & quod non potest tolli, illud necessum sit poni, frustra n. alias, quod possit tolli.*

18. *Quæ tamen sic vindico. I. Potest de eadem re idem affirmari, idem negari, sed diversa ratione. II. Ut felicitas consideratur juxta essentiam & Existentiæ eminenti-*

nentiam: consideratur & quo ad essentiam & memoriam. Quid ergo impedit quo minus Aristot. affirmans intelligat existentiam, Negans memoriam. De hoc consentit Piccolomineus gradu 9. c. 31. & alij. Quæritur autem an etiam quo ad essentiam? ubi valebit hæc hypoth. Actio consideratur vel quo ad jam in agente est & à virtuoso proficiscitur: Vel quo ad est jam ab agente profecta. Priori ergo modo felicitas post mortem non potest esse, quod ex quo priori loco conclusum, neminẽ mortuorum esse felicem, mortuus n. nihil potest agere. Posteriori modo non video quomodo felicitas non sit secundum etiam essentiam, si non in mortuo, tamen vel in operibus ejus: vel in memoria, & animo celebrantium virtutis memoriam, cum etiam accidentium essentia sit sine subjecto. Et hoc esse videtur quod Seneca habet.

Nunquam Stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus. Et Ovidius

Facti

Facta Ducis vivent, operosaq;
gloria rerum,
Hæc manet, hæc avidos effu-
git una rogos.

Et hoc politicè. ubi tamen multo alitèr dicendum theologicè. ut infra.

18. *Verum enim verò cum tria sint bonorum genera* τίμια, ἐπαίνετα καὶ ἕτερα, *seu* δυνάμεως, *honorabilia, laudabili & neutra, sive facultatis, sic dicta, quod ijs possumus tum uti, tum abuti Concluditur,*

III. Summum bonum est bonum τίμιον non ἐπαίνετον nec δυνάμεως. *Nemo enim felicitate abuti potest, nec est alterius gratia, propter quod laudetur, sed est summum & perfectissimum, imò* θεῖον *& divinum. Divina autem non sunt laudabilia sed honorabilia.* Symp. V. Cap. XII.

19. *Quod ut percipiatur hypoth. hæ notandæ. I. Bonum illud quod alterius gratia est* ἐπαίνετον: *quod propter se tantum* τίμιον, *hoc nam & est divinum. II.* ἐπαίνετον *refertur ad aliud,*

liud, ut fides refertur ad Christi meritum: vel laudantem perficit. ut quando indies laudare Deum jubemur ex suis operibus, & in nos beneficijs Goclenius in probl. Eth. probl. 26. III. Summum bonum civile consideratur aut respectu humanæ vitæ: vel respectu Dei. IV. Multa Aristot. alibi popularitèr, quæ alibi accuratius.

20. *Jam ergò cum ad Deum omnia referantur, priori modo non erit laudabilis Deus, sed honorabilis. Cum autem omnia ab ipso, erit laudabilis. Sed tamen maximè honorabilis. 1. quod honor competit perfectissimo bono 2. quod Deus est principium & finis omnium bonorum. Humanum bonum collatum ad summum bonum honorabile dicere ἄθεον est: sic enim vel esset ipse Deus vel æquale Deo. relatum ad bona humana est honorabile, quod ex his nullum est cujus gratia laudetur. Arist. autem cum 1. Rhetor. c. 9. numerat*

numerat laudabilia tria, Deum hominem & animantia loquitur populariter πακυλῶς *non verò* ἀκριβῶς.

21. *In cujus ergò divinitatis participationem ut deveniatur, de virtute erit agendum, quæ cum in animo sedem habeat, eoq; vel conjuncto cum corpore, vel soluto, virtutes vel erunt* ἠθικαὶ *morales vel intellectuales* διανοητικαὶ, *quarum hæ* τὸν ὀρθὸν λογον *rectam rationem illæ* τὸ κατ' ὀρθον λόγον *id quod est juxta seu ad rectam rationem respiciunt. de utrisq; in posterioribus est agendum.* Cap. XIII.

Ethicotheologica.

I. Quemadmodum ad humanum bonum non virtus mortua, sed ea quæ actione est vivida ducit. Sic etiam ad divinum & summum nos elevat fides non victa sed vivida, nec verò nuda dei notitia. Non enim ab homine in divinis solum requiritur intellectus, sed etiam voluntas, Occa in lib. I. sententiar. dist. 1. quæst. 2. Atq; adeo Ethica Christiana non solum cognoscit sed etiam operatur 1. Timoth. 1. v. 5.

v. 5. finis mandati est charitas, ex puro corde, conscientia bona, & fide non ficta. unde Bernardus de Ordina. Vitæ: Is divinas scripturas rectè legit qui verba vertit in opera. Lactantius lib. 6. de verò cultu c. 1. Id est hominis officium, colere Deum, (cultus autem est in voluntate simul & opere) in eoq; solo summa rerum & omnis beatæ vitæ ratio consistit. Et si felicitate humana non utimur sed fruimur, utimur enim ijs juxta Augustinum, quæ ad aliud referimus, quo fruendum, maximè non utimur felicitate divina sed fruimur. Sic enim idem Augustinus. In omnibus rebus illæ tantum sunt quibus fruendum est, quæ & æternæ & immutabiles sunt Petrus Lombardus lib. 1. dist. 1. quæst. 2. 3. 4.

II. Vt bonum civile & humanum est à Deo, homini tamen non contingit nisi per actionem: Ita summum nostrum & æternum bonum quod possidemus unicè est à Deo & verè θεόσδοτον, *quod idem gratis nobis competit, gratis in nobis promovetur, & gratis etiam conservatur, justifi-*

justificantur omnes gratis per ipsius gratiam Roman. v. 24. c. 3. non ex meritis quo ad nos, quamvis non gratis quo ad Christum. Salvus es factus gratis, quod ad te pertinet & pro nihilo: sed quod ad illum (Christum scilicet) planè non gratis, non de nihilo Bernardus in Psal. 91. Et cum utrumq; omnes velint. Bonum enim & beatitudinem suam omnes appetunt, Augustinus lib. 13. de Trinitate, & Cic. Beati c. tè omnes esse volumus: nec tamen omnes eo fruantur. mirum est unde tanta existat de beatitudine diversitas voluntatum. Verùm id sciendum est etjam si sit à Deo felicem esse & beatum, idq; ab eo solum, nemo enim nisi illius gratia erigitur, nemo nisi illius gratia stabilitur. August. ad artic. 7. sibi falso impos. cujus ope scimus multos detentos ne laberentur, nullos autem impulsos ut laberentur. August. ad 13. Artic. à nobis tamen esse quod æterna felicitate non fruimur. Ex te enim perditio tua Israel. Ex quo ut Atheon fugiendum dogma illorum asserentium ex Dei decreto esse plurimorum

E damna-

damnationem. Et illud Augustini inculcandũ Prædestinatio multis est causa standi, nemini causa labendi ad 12. Artic. sibi falsò impos. Si ergò quæritur unde lapsus? scire sufficit ab illo esse, quod statur, non v. quod ruitur Augusti. ad artic. 14 Beatos esse se velle omnium hominum est: beatos se esse velle omnes in corde suo vident: nec tamen omnium est fides, qua ad beatitudinem pervenitur. Magister sententiarum, lib. 4. distinct. 99. quæst. 2.

Quod multi pereunt pereuntium est meritum, quod multi salvantur salvantũ, est donum. Vt enim reus damnetur inculpabilis est Dei justitia, ut autem reus justificetur ineffabilis Dei gratia est ad Articulum. 1. Augustinus. Sibi falsò impositi III. Vt puer non potest esse felix felicitate humana, quod destituatur rationis usu: Sic contra etiam infans à felicitate divina non excluditur, quod hæc à Deo gratis offertur & per fidem apprehenditur. Augusti. ad Bonifac. Ep. 25. Aqua exhibens forinsecus sacramentum, gratia & Spiritus operans beneficium gratiæ, sub

veni

vens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ regenerat hominem, in uno Christo, ex uno Adam generatum. In baptizatis enim habitat Spiritus Sanctus, quamvis eum nesciant, nec hoc mirum erit, cum Apostolus quibusdam etiam majoribus dicat: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitet in vobis, 1. Corint. 5. August. lib. de præsentia Dei c. 12.

IV. Vt felicitas una est humana vera, sic etiam divina, quod una justitia Christus. Vt verò humana est momentanea, hic absolvitur, & infortunij nubeculis obscuratur: Ita divina hic inchoatur, quæ tamen per ipsam crucem splendescit, crux enim ad hanc est via, illic verò absolvetur & stabit æterna, nec unquam finietur. Ex quo etiam minimè obscurabitur, quod nulla ibi paupertatis metus, nulla ægritudinis imbecillitas, nulla infantia, nulla senectus, omnes perfecti, & in plenitudine Christi, August. serm. 37. de sanctis. Sed tamen in ipsa felicitate qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam

gradus honorum atq; gloriarum, quis est idoneus cogitare, quantò magis dicere? quod tamen futuri sint non est ambigendum. Idem de Civit. Dei cap. 30. Nec ergò quæ hic inchoata destruetur sed perficietur, ubi Deus implebit rationale nostrum luce sapientiæ, ut penitus nihil desit de sapientia: Implebit concupiscibile nostrum fonte justitiæ, ut omninò desideremus eam: Implebit irascibile pace divina. Bernardus Sermo. 8. super Psalmum 91.

V. Quamvis ergò calamitas posterorum aliquando sit futura summa: ea tamen, quamvis & in maximè pijs, nihil afficiat demortuos felices. Aug. de cur. pro mor. c. 1. Vbi plura. Si rebus vivētibus interesset animæ mortuorum, ut de alijs taceā, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra, mariq; secuta est, ut mecum viveret. Abraham nescivit nos, & Israel nō cognovit nos, Esai. Cujus a. nulla cognitio, illius nec ulla compassio, præsertim illic ubi abundantia sine indigentia: pax sine perturbatione: gaudium sine tristitia. Bonavent.

Disputatio quarta

EX LIBRO II. DE CAUSA efficiente, objecto secundario, & genere virtutis, & ex c. 1. 2. 3. 4. & 5.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam,

ad diem XXVI. Julij

Respondente

MARTINO LOKERVICIO
Gryphiswald. Pom.

THESIS I.

Cap. I.

REmotis, *quæ felicitatis veræ imaginem fucare videbantur, & vero jam speciosoq; ejus vultu adoperto, quidnam verum sit bonũ ostenso, ejus in fruitionem ut deveniamus, via accedendi ad idem est recludenda, quod fiet ubi omnia habemus quæ volumus, & nihil volumus malè, Augustlib. 3. de Trinit. c. 5. ipsam scilicet virtutem, de qua agendum erit tum genera-*

tim, cujus initium in hoc libro, finis in lib. 3. c. 5. tum speciatim in seqq.

Causa efficiens.

2. Equidem cum sine virtute ad felicitatem non detur accessus: quomodo in hujus possessionem venire liceat, primùm est inquirendum. Conclud. ergò I.

1. Symp. Virtus moralis non est à Doctrina: non implantatur à natura; sed consuetudine & exercitatione comparatur.

3. Quod ad Doctrinam, intellectualem excludimus, quippe, quæ potissimùm inchoantur, promoventur, & confirmantur à doctrina, cum morales more, unde etiam ἀπὸ τοῦ ἔθους paululum immutato nomine dicuntur ἠθικαὶ. Objectis contrà venit hæc hypoth. Virtutes considerantur vel conjunctim, & quatenus ab una prudentia omnes diriguntur & cognoscendæ sunt: vel separatim, quatenus una quæq; propriam suam habet definitionem & essentiam distinctam, & sunt in actione positæ. Priori ergò modo dicere non officit omnes virtutes pendere à doctrina,

strina, unde Homerus 6. Iliad. tribuit ijs tum μάθησιν. ut & Aristot. lib. 7. polit. c. 13. Partim moribus & consuetudine, partim audiendo & cognoscendo homines instituuntur. tum ἐπιστήμην doctrinam & cognitionem. Quod tamen posteriori modo falsum. nisi velis quo ad cognitio præcedit actionem.

4. Quod verò nec à natura: id hac hypoth. probatur: *Nihil quod natura ineſt aliter adſueſcit.* lapis enim, cui à natura ineſt deorsum ferri, nunquam adſueſcet ſurſum ferri, etiamſi vel millies in altum projiciatur. *Sed præſupponit primò δύναμιν, quam poſt ſequitur actio.* non enim quod ſæpius audivimus, ſæpius vidimus, auditum vel viſum accepimus, ſed contra quod auditum, quod viſum habuimus, vidimus, audivimus. Cum ergò virtutes per aſſuetudinem & comparẽtur, & amittantur, ſeu mutentur, eas q̃ non habeamus antequã egerimus & ex juſtè agendo juſti namq; reddimur, quod diximus hypoth. his fulcitur. 1. *Virtus*

considerator vel quo ad δύναμιν, & διάθεσιν naturalem, vel quo ad ἕξιν habitum & confirmationem perfectam. II. aliud est esse ἀρὰ τὴν φύσιν à natura aliud παρὰ τὴν φύσιν præter naturam. Virtus itaq; juxta δύναμιν naturalem considerata non negabitur esse à natura: juxta quod Arist. lib. 7. polit. c. 13. Tribus autem rebus probi & boni viri efficiuntur: Natura: consuetudine: & Doctrina. ut enim nasci oportet hominem, sic etiam qualitate quadam affectum. quam vis diverso modo. Sic enim aliquando natura bonitate lasciv it, ut etiam quædam jùxta Cic. in orator: sint resecanda: aliquando malitie sic profluit, ut confirmari doctrina, & emendari curatione non possit Aristot. lib. 5. polit. c. 12. & Plato lib. de Republ. & quam vis furca repellatur juxta Lyricum, tamen usq; recurrat. Juxta habitum verò non est à natura nec tamen præter naturam, quod tum Semina virtu-

virtutis à natura, tum etiam ipsa perfectio à gratia Dei est. Nemo enim bonus sine Deo, Seneca. unde à Platone dicitur εὐμοιρία, ab Arist. θεότης φύσεως.

5. Quod verò consuetudine comparetur id præter alia. 1. legum latores testantur, qui si leges bonas sanciunt cives bonos efficiunt: sin verò malas, aut etiam bonas, quarum nulla est observantia vel sane parva, cives oriuntur mali. οἱ γὰρ νομοθέται τοὺς πολίτας ἐθίζοντες ποιοὺς ποιοῦσιν ἀγαθούς. ὅσοι δὲ μὴ ἐῦ αὐτὸ ποιοῦσιν ἁμαρτάνουσι. Legumlatores adsuefaciendo cives efficiunt bonos. qui verò id non benè agũt peccãt. Secundo ipsæ actiones. hæ nãq; ubi bonæ sunt bonos progignunt habitus, sin malæ malos. Non aliter atq; is qui benè ædificat bonus architectus, qui malè malus. Dum enim justè agimus temperanter, fortiter, reddimur justi, temperantes, fortes. Sin contra contrarij. illud quidem quod sic agimus ut oportebat: hoc quod secus. Ex ijsdem enim, & per eadem fit omnis virtus ac corrumpitur ἐκ τῶν αὐτῶν, καὶ διὰ τῶν αὐτῶν καὶ γίνεται πᾶσα ἀρετὴ καὶ φθείρεται. Et

ut uno verbo, ἐκ τῶν ὁμοίων ἐνεργειῶν αἱ ἕξεις γίνονται. *ex similibus actibus fiunt habitus. Ex quibus omnibus colligimus cum Riccobono: I. Virtus nõ est à doctrina cognoscente, sed tamen est à doctrina exciente. II. est à natura ut re inchoante. III. est autem ab actione ut re perficiente in hoc cap.*

6. *Ex ijsdem verò & per eadem corrumpi & generari virtutem ut intelligatur hac hypoth. assumenda. Idem aliud est genere; aliud specie: aliud numero: lib. 1. topi. c. 6. aliud analogia; lib. 5. metaph. cont. 12. Per easdem ergò actiones, & virtus & vitium, sed genere. Cum ergò non parùm referat, ut actus certo quodam modo con-*

Symp. II. *formemus, Concl.* II. Interest permultum, *imò prorsus refert, juvenes hoc vel illo modo adsuescere. non secus certè atq; adsuescere catulum vel ad venandum, vel ad vorandum. Cum namq; consuetudo sit altera natura, certè ut cæteris artibus, sic etiam in civili vita quædam institutionis &*

nis & educationis quasi fundamenta ponere oportet, Aristot. lib. 8. polit. c. 1. quæ sanè non in eo tantum ut nihil agant malè, sed & ne audiant pejora. Cum enim ex hisce voluptas primum adolevit, indolis, ac probitatis igniculos, à natura in nos liberaliter propagatos, planè extinguit. Patritius lib. 2. de Regno & Regis instit. cap. 7. Vide Arist, hoc lib. c. 2. & lib. 10. in init.

7. *Jam verò cum non quid virtus sit* Cap. II. *consideremus, sed ut boni efficiamur, laboremus, sine hoc enim nullus virtutum usus, boni autem non simus nisi ex actionibus, quæ dominæ sunt habituum Conclud.*

III. Actionum singularis ratio est habenda. Symp. III.

Cum tamen singularia nõ cadant sub artem, etiamsi exactißima non instituetur de ijsdẽ tractatio, veniæ erit locus, ubi per figurã describetur earũ natura.

8. *Primùm ergò ita sint constituta & formata, ut cum ratione conveniant. Cum recta enim agere ratione omnium virtutum est quasi seminarium.*

quare

quare etiam ab omnibus hoc est concessum.

II. Conveniant tempori. *non enim quod semel conveniens est, omni tempore, & loco omni est conveniens.*

III. Medium teneant inter exuperantiam, & defectum. *ut namq; ex mediocritate res progignitur, augetur & conservatur: Sic ex exuperantia & defectu labefactatur, corrumpitur, & destruitur. Potus enim & cibi si plures, & pauciores adhibeantur, corrumpunt sanitatem, moderati autem, & efficiunt, & augent, & conservant. IV. Sint similes ijs actionibus quas benè virtutem possidens egerit. Ex hisce enim virtus procreabitur. abstinendo namq; à voluptatibus efficimur temperantes & effecti temperantes magis abstinemus.*

Cap. III. 9. *At verò cum dubitare poterat benè agens, num ex virtute agat, vel adhuc in virtutis acquisitione laboret, Conclud.*

Symp. IV. IV. Qui benè agit cum molestia,

stia, & dolore is virtutem nondum posidet: qui verò benè agit cum voluptate, is ex virtute agit. *Voluptas enim & dolor cum sint habitus signum, qui abstinuerit à voluptatibus gustus & tactus cum gaudio temperans erit, cum dolore adhuc intemperans, ex quo colligitur* V. Virtus circa voluptates & molestias est occupata. περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας ἐστὶν ἡ ἠθικὴ ἀρετή. V. Symp.

10. *Quod equidem ex hisce manifestum fit. Virtus versatur* 1. *circa ea quæ hominem ad vitia trahunt.* 2. *Circa actiones & appetitus est occupata.* 3. *circa ea quæ corrumpunt virtutem vel perficiunt.* 4. *quæ sunt expetenda vel fugienda.* 5. *quæ metiũtur mores.* & 6. *deniq; quæ sunt difficilia. Cum verò voluptas & dolor hominem trahant vel ad virtutem vel ad vitia: sint cum actionibus conjuncta: perficiant & corrumpant virtutem: sint expetenda vel fugienda: metiãtur mores:*

& sine

& sint ex difficilioribus, quod concluſum eſt ſtabit.

II. *At verò hic oritur dubitatio, quomodo dolor & voluptas ſint objectum virtutis? ad quam ſolvendam has præſuppono hypoth. I. Dolor & voluptas conſiderantur vel quo ad ſubſequuntur virtutem, vel vitium: vel quo ad eandem antecedunt. II. Poteſt res aliqua verſari primariò circa hanc rem: ſecundariò circa aliam. Sic Arithmeticus principalitèr circa numerum, ſecuudariò circa quantitatem in numeris. Quod ſi ergò opponitur. Voluptatem eſſe adjunctum virtutis? quatenus ſcilicet ſubſequitur virtutem, quomodo de ea agitur lib. 10. Ethic. c. 1. 2. 3. 4. non v. quatenus vel vitium ſubſequitur, vel virtutem præcedit. Si quod actiones ſint objectum Ethices principale. voluptatem a. & dolorẽ, minus principale, & ſecundarium reſpondemus, idq; ex ipſo Ariſtot. probamus,*

bamus. Non enim dicit virtutem versari in actione, quod dolorem & voluptatem habeat conjuncta, sed ideo circa voluptatem & dolorem, quod circa actiones, in quibus hæc insint. Propter quod autem quodq; est, illud magis tale est. Præsertim cum utrumq; recipere potest magis & minus, & affectio utriq; eadem competit.

12- Cæterùm cum virtutes voluptates fugiant aut sequantur ut oportet, quæritur an recte definiantur ἀπάθειαι? Affirmant Stoici. Negat Aristot. hoc cap. ὁρίζονται τὰς ἀρετὰς ἀπροτέιας τινὰς καὶ ἀκρμίας, οὐκ εὖ δέ, quod ostendent altius hæ hypoth. I. Affectus non omnes sunt mali, essent enim sic organa affectuum frustra, qualium principale est cor, non omnes turbulenti sed plures boni, quandoquidem Deus nobis præter σόφρας multos affectus indidit, quibus actiones nostræ ad virtutem, non aliter ac navis vento ad cursum impelluntur, & tranquilli. II. Dolor & voluptas non in totum sunt rejicienda

cienda, neq; in totum prosequenda. Cum ergò opponitur à Stoicis, Virtutem esse tranquillam, & divinam, affectus verò malos & turbulẽtos? bonos excipimus. nõ n. õnis affectio turbat ingenui animi trãquillitatẽ, sed ea demũ quæ à modo excedit rationiq; adversatur, nec virtus cum malis affectibus est conjuncta, sed cum bonis. Si quod dolor & voluptas semper sint cum affectibus, qui tamen Consiliarij sint amentes? imò fontes affectuum eos dicemus, ex quibus si hauserimus unde, quantum & quando oportuerit felices sumus futuri. Affectus ergò non sint actionum duces, sed satellites, dicebat Plato.

Cap. IV. 13. *Verùm enimverò cum suprà dictum sit ex temperanter & justè agendo justum fieri ac temperantem. Concluditur*

Symp. V. *V. Quod diximus supra, id adhuc dicimus.* Ex justè agendo fiunt justi, ex temperanter temperantes. *Ad quod hæ assumuntur hypoth. I. In multis est agendi principium, in quibus tamen nec est perfectus habitus. II. ex quo*

multi

multi agunt temperantèr, & justè, qui tamen nec sunt temperantes, nec justi. III. Actio, ut sequitur virtutem, non est causa virtutis, ut præcedit eam, & est tanquam διάθεσις, sic est virtutis causa. IV. Grammatica & artes, cum virtute & scientijs practicis non possunt comparari.

14. Quod si ergo opponitur: Eum, qui virtute careat, non posse agere justa? negabitur, quod quis potest agere ex principio quodam & cum dispositione, etiamsi careat habitu. Cum etiam omnes, qui semel justum agunt, non propterea sint justi. Si quod actio sit effectum virtutis? negabitur, quatenus præcedit virtutem? Si quod nemo grammaticè scribat, nisi Grammaticus? cum multi sint, qui aliquando etiam casu grammaticè scribant, etiamsi imperfectè, comparatio hic nulla erit. quod hac hypoth. convincitur. ut ex virtute quis agat tria hæc requiruntur. I. ut εἰδὼς sciens. II. προαιρούμενος δι' αὐτὰ præeligens propter ipsa, oportet enim ut justè agens nõ alio fine agat, quam quia

honestum ita sit agere. III. Βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως; *constanter quis agat. mutatio enim voluntatis est indicium non habere, vel non velle. Cum verò, in artibus satis sit cognitio, & præcepta comparentur magis quam actionibus, operatio artis cum actione rectè non comparabitur. Ex quibus Concluſ.* VI. Rectè jam facient qui contẽplantes ſecundum virtutem agent, minus v. rectè, qui in virtute tantũ philoſophantur. *Similes enim hi ſunt ægrotantibus, qui medicos quidem audiunt libentèr, nihil tamen eorum quæ præcipiuntur faciunt. quemadmodum enim illi nec corpore valebũt, dum ſic curantur. Ita nec hi animo dum ſic philoſophantur.*

15. *Ex prioribus oritur dubitatio. An ſcilicet actiones antecedentes & conſequentes formalitèr ſeu ſpecie cõveniant? Negat Piccolom. gradu 2. cap. 9. Affirmat. Goclenius prob. 50. Cum hoc & nos affirmabimus. I. quod Ariſt. dicit eſſe eaſdem, cum verò nec eædem ſint*

numero: sic enim uno & eodem tempore existerent. Nec eædem genere: Quod si actio bona, quæ genere est eadem cum mala, divideretur in actionem perfectam & imperfectam, in gradibus tantùm sit futura differentia, non verò in ipsa opposita essentiali forma, quod tamen generis natura requirit, ex quo specie erunt eadē. 2. quod ābæ continentur mediocritate. Et 3. quod à recta ratione utraq; & habitus, & dispositio ad habitum provenit.

16. *Quæ ergò opponuntur, hisce excipimus hypothes. I. Eadem specie à diversis etiam principijs possunt oriri, si modò eandem vel habent facultatem, vel in efficiendo concurrunt, vel saltem non sunt contraria. Sic sol gignit murem, & mus gignit murem, qui tamen specie non differunt, Goclenius citat. loco. II. Potest quid differre gradibus, quod tamen non differt specie. Gradus enim, qui sunt accidentia, speciem non distin-*

distinguunt, sed forma essentialis. Quod si ergò opponitur, ex diversis principijs ortum ducere singula? quam vis hoc negari poterat, quod utrumq; ex ratione recta. Cum tamen regeritur, alterum ex virtute & habitu, alterum ex dispositione esse? nihil obesse dicimus, quod tamen utrumq; cum recta sit ratione. Quod verò altera cum pugna est, inconstans & cum dolore, alter sine pugna perfecta & cum voluptate. hoc gradu differre facit, non speciem immutat.

Cap. V. 17. *Vt verò natura Virtutis altius indagetur. Concluditur* VII. Virtus

Symp. VII non est δύναμις, facultas. non est πάθος affectus: sed est ἕξις habitus.

18. *Quod ad primum. hac hypoth. assumitur. Propter virtutem boni dicimur atq; mali: laudamur & vituperamur, nec à natura sumus virtuosi,* δυνάμεις *autem habemus à natura, ob has non lau-*

laudamur, quod nec bonos, nec malos nos faciunt.

19. *Quod ad secundũ, sic ostenditur: Ex affectibus neq; probi dicimur neq; mali: neq; laudamur neq; vituperamur: sunt sine præelectione: & ex ijsdẽ dicimur moveri. Cũ a. non moveamur ppriè virtutibus, sed disponamur ad agendum, idq; si cum præelectione bona, laudemur, & boni dicamur, genus virtutis non erit affectus.*

20. *Quibus omnibus ut subveniamus, has præmittimus hypoth. I. Aliud est laudari, vel vituperari in sese & sui causa, aliud ratione alterius. II. Aliud est esse & dici bonum reipsa, aliud* διὰ τὴν ἐλπίδα *propter spem, & dispositionem ad laudem. Pueros ergò, in quibus virtutis igniculi eminent, laudamus non ob* δυνάμεις, *sed* δυνάμεις *laudamus ob spem perfectionis & habitus futuros. Si opponatur, quod libro quarto Verecundia numeretur*

inter affectus, ex qua tamen juvenes laudentur, vituperentur senes? laus oritur ex eo, quod verecundia ostendit juvenem futurum virum honestum, quia turpia jam erubescat, cum appetitum regere nondum possit: Vituperium, quod ostendit, subesse aliquod vitium, à quo senex debebat longè esse alienus. Relinquetur ergò virtuum esse habitum, sed qualis aperietur in disput. sequenti.

Ethicotheologica.

I. Ut summum bonum civile homini competit per virtutem, tanquam medium: Sic divinum bonum tantum est per fidem, cum πληροφορίᾳ seu πεποιθήσει conjuncta. Sine namq; fide placere deo impossibile est, ex quo dicitur fundamentum bonorum omnium. Sine fide nec in hoc seculo quisquam justificationis exequitur gratiam: nec in futuro possidebit æternam. August. serm. 38. de temp. Sed tamen modo diverso. Virtus enim hominis est proprium bonum, est ipsa causa efficiens felicitatis: Fides autem, quam vis ex auditu verbi est, ut causa organica, quo ad

Deum

Deum, Donum tamen Dei est gratuitum, hoc enim est opus Dei, ut credamus in eum, quem misit ille, Joann. 6. v. 29. Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, sed gratuitum donum Dei esse fateamur, Augustinus ad Sixt. Epist. 105.

Quamvis etiam sit causa, & ratione nostri, est tamen instrumentalis mera λητικὴ, *qua felicitatem nostram divinam oblatam apprehendimus, non promeremur, aut acquirimus. Neq; ergò à natura nobis inest* δύναμις *ad eam, ut virtutis civilis, sic namq; non omne cordis nostri figmentum esset malum Gen. 6. v. 5. 8. v. 21. nec concupisceremus semper adversus spiritum Galat. 5. v. 27. adeoq; ut in nondum conversis sit ita, ut etiam velle eam sub arbitrio & potestate sit positum, quod enim bonum volumus id à Deo est, August. de Grat. & libero arbit. Certum est voluntatem nostram requiri ad hoc ut benè operemur, sed illam non habemus ex nostris viribus, sed Deus operatur in nobis ut velimus. Idem ut*

tamen

tamen non amittitur sine nostra voluntate, sic nec in conversis est præter voluntatem. Ex quo Paulus Rom. 7. 18. Velle adjacet mihi. hinc conversi dicuntur cooperarij & administri Dei 1. Cor. 3. Etsi enim novum hoc opus non sit ex nobis, tamen non est sine nobis intellige, conversis Bernardus de Grat. Et Lib. arbit. Aguntur n. ut agant nō ut ipsi nihil agant Augustin. de corrupt. & gratia. Sed tamen à Spiritu S. habet principium, medium & finem, ipse enim tùm voluntas, tùm perfectio, tùm sufficientia nostra Philip. 2. v. 13. 2. Corinth. 3. v. 5. unde quotidiè jubemur orare: Domine adauge in nobis fidem.

II. Cum multum intersit his vel illis adsuefieri moribus, ne in perfectione humana impediamur: tanto magis etiam interest videre in qua doctrina à pueris instituamur, & cum quibus doctoribus conversemur, ne à vera felicitate aberremus. hinc evitare jubemur tùm falsam & inanem philosophiam Coloss. 2. v. 8. tùm longius abesse à pseudo magistris Matt. 7. & scrutari Scripturas Ioan. 5.

Disputatio quinta

EX LIBRO II. DE DIFferentia & definitione virtutis ex cap. 6. 7. 8. 9.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

Ad 11. Augusti

Respondente

JOACHIMO MEIERO
Rugiano.

THESIS I.

Essentiam rei propriam cogniturus generi differentiam adjungat, quo id, quod commune est, distinguatur per formam propriam. Plato in Phædro. Arist. 2. metaph. c. 3. Virtutis ergò genere inquisito, ut, quid ea sit, cognoscamus, differentia erit indaganga δεῖ δὲ μὴ μόνον ὅτι τοιαύτης ἕξις, ἀλλα καὶ ποία τις. I. Sympre. *Concl. 1.* Virtus est habitus bonus, in mediocritate consistens.

2. *Etenim cum omnis virtus benè affectum id reddat, in quo ineſt. Virtus namq; oculi oculum perficit, & ipſam viſionem, virtus equi equum, ut currat benè, geſtu ſeſſorem ut ſuſtineat hoſtes, virtus hæc etiam ſuam in bono habebit perfectionem, quippe quæ à ſummo bono provenit, à bonis poſſidetur, & bonum poſſidet. Benè ſedet poſſeſſio, quæ propinqua eſt civitati melius quæ infra muros: optimè quæ infra muros propriæ domus tuta eſt, & ab hoſtibus, & à civibus: Peroptimè virtus, quæ eſt in ſecreto cordis, Paraldus tom. 1. c. 4. Et Seneca. Hunc dicito, hunc habe beatum, non quem vulgus vocat, ſed cui omne bonum in animo eſt. ex quo virtute nihil amabilius Cic. lib. 1. de Natu. Deor. Etiamſi Plotino virtus non ſit bona, ſed conferens, ſeu utilis lib. 3. c. 3. de virtut. Cum verò omnis ars, & omnis ejus actio, in mediocritate ſuam habeant perfectionem: omnium actionum nimium & parum ſint vituperabilia: medium verò ſolum laudabile, & bonum, virtus erit in mediocritate non tantum, ſed*

ipſa

ipsa mediocritate quod virtutis sunt quasi propria, laudari & rectè agere. sed qualis, hæ distinguent hypoth.

3. *1. Medium aliud est rei,* κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, *quod utrinque servat proportionem æqualem, seu quod utrinq; æqualiter distat ab utroq; extremorum, quale sunt 6. inter 4. & 8. Sicuti enim senarius superat quaternarium binario: sic superatur ab octonario, quod medium etiam dicitur Arithmeticum. Aliud rationis, personæ, seu quo ad nos,* πρὸς ἡμᾶς, *ubi equidem non est æqualis distantia, sed tamen talis est constitutio, ut nihil hîc deficiat, nihil etiam, redundet illic ultra vel infra id, quod oportet, ut 6. inter 9. & 4. Sicuti namq; senarius continet quaternarium, & ejus dimidium: Sic continetur in novenario totus cum sui dimidio. Dicitur etiam medium geometricum*

II. *Res dividi potest non solum per se, sed per accidens.* *Sic albedo non quidem ratione sui dividitur, sed ratione subjecti.* *Nec solum ratione quantitatis, sed & ratione graduum in qualitate.* III. *Virtus consideratur vel quatenus opponitur vitio, ut genus generi, & ultra se nihil habet inter bona humana perfectius, quo devenire liceat ad felicitatem; vel quatenus opponitur duobus vitijs, ut Species speciei, quorum alterum est in Excessu, alterum in defectu.*

4. *Quod si ergò opponitur. Actiones non esse in prædicamento quantitatis, unde nec divisionem admittant? negatur consequentia, ex hypoth. secunda. Si quod virtus modo conveniat potius cum hoc, modo distet longius ab illo extremorum? liberalitas enim propior est prodigalitati, quam avaritiæ. medium hic quærimus non rei, sed in primis id quod ad nos seu per-*

seu personæ. *Si quod virtus dicatur* ἀκρότης *extremitas? quomodo scilicet opponitur vitio, ut genus generi. Est tamen* μεσότης *quatenus interponitur inter id, quod est nimium aut parum, idq; ratione ipsius essentiæ.*

5. *Dico inprimis* 1. *quod virtus non consistit in medio indivisibili, ut in puncto, sed in tali medio, ubi quædam est latitudo, intra quam si steteris, benè ages. nec enim qui parum à mediocritate declinarit, fit continuo vitiosus, sed tum, cum sensilitèr. Deinde quod nec medium rei ab omni virtute excluditur, cum idem hoc ipsa sit justitia commutativæ essentia, sicuti explicabit lib.* 6. *Ex quibus Conclud.* II. ἔστιν ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ, ἐν μεσότητι οὖσα, τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. Est habitus præelectionis, in mediocritate consistens, ad nos relata ratione præfinita, & ut prudens præfiniret.

6. *Caterum quod ubiq; evenit, ut pul-*

chra sint difficilia, idem etiam virtuti, quare ut majori cum alacritate investigetur, exerceatur diligentiori circumspectione. Conclud. III. Mediocritatem invenire difficilimum est.

Symp. III. Facilè namq; est à scopo aberrare, difficilè verò ipsum attingere. idq; propterea, quod medium est unum, vitium verò varium: Et juxta Pythagoreos infinitum; Boni namq; simpliciter: omnibus modis mali sunt. ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, πανταχῶς δὲ κακοί.

Symp. IV. 7. Ne tamen ubivis de medo invenendo simus soliciti, Conclud. IV. Nec in omni actione est medium. quod demonstratur 1. in actionibus universis. Sunt enim quædam ejusmodi, quæ dum nominantur cum pravitate sunt complicata, ut furtum, adulterium, in quibus nec exuperantia nec defectus, in quibus semper est peccare, nunquam benè agere: Et quod nec in ipsa mediocritate alia est mediocritas, sic enim processus daretur in infinitum.

2. Prius ut intelligatur hæc notanda hy-

ta hypotheſis. *Aliud eſt in gradu aliquo differre: Aliud in mediocritate conſiſtere. Si ergò opponitur vitium aliud alio eſſe majus? gradus non conſtituent mediocritatem, hæc enim cum ſit optima, in nullo etiam gradu de malo participabit. Nec enim omnia vitia ſunt æqualia, ſicuti Stoici voluerunt, quod certè virtus alia aliâ eſt magis eminens, atq; auguſta magis: diſparia ſunt præmia: diſpares pœnæ.*

An vitia æqualia.

9. *Cui ſubveniunt hæ hypotheſ. I. Res genere eodem convenientes & gradu, non ſunt eadem, aut certè non æqualia. II. Ut non omni tempore appetitus in pari eſt vehementia, & morbo: Sic nec continuò ab uno, & eodem principio, non uno & eodem modo ſe habente ſemper idem effectū producitur. Sic enim animus benè informatus nunquam in errorem prolaberetur, cum tamen & politiſſimi in eadem re ſibi ſint interdum*

terdum contrarij. Quod si ergò opponitur, peccata esse eadem & æqualia, quod quod omnia malum sapiant? hîc cum petatur principium, æqualia eas concedi potest generis, non verò graduum, aut differentiæ. Omnia enim vitia in malo conveniunt, quamvis malum malo sit gravius. Parentem enim interficere, & bona paterna profligare eadem quis dicturus? Si quod ab uno appetitu perverso omnia? cum animus non semper pari vehementia, & morbo cupiditatum trahatur, nec omnis pari cum malitie sit conjunctus, vitia autem non minus ex electione formam suam hauriant, atq; virtutes, non semper erunt eadem. Quod si tamen sunt æqualia, cur non omnes una definitione comprehenduntur? quod cum fieri non possit, certè forma quædam danda erit, per quam distinguantur, quæ equidem colligetur ex electione, & ex objecto in quo, ex circumstantijs etiam reliquis.

10. Cum verò in mediocritate sit dictum consistere etiã virtutem, quæritur an omnis? Quod hisce approbo hypothesibus.

I. Vt

I. Ut virtus consideratur, vel quatenus est medium vel quatenus extremum: Ita extrema aut sunt explicita, aut implicita.

II. Virtutes versantur in medio. vel ratione circumstantiarum, vel rattone materiei circa quam.

III. Et ut unaquæq; est forma, in tali etiam est medio. Si ergò opponitur justitiam habere contrarium unum? primasubvenit, injustitia enim est vocabulum generale quod sub se comprehendit tum nimium, tum parum. Cum enim quis huic tribuit plus quam debebat, minus tribuit alteri quam debebat, quomodo peccatur tum in Excessu, tum in Defectu. Quod idem dici poterat de virtutibus intellectualibus. Etsi enim in genere hæ versentur in verò & falso, in quibus non est medium, tamen ipsum falsum est tum in eo quod est nimium, ut si quis Hannibalem cæcidisse ad Cannas dixerit, ultra quam cæcidit: tum in in eo quod est pa-

rum, si dixerit infrà. Quamvis autem virtutes intellectuales cum Piccolomin. à moralibus excludere poteramus, tamen & hæ suo modo in medio sunt, quod suo loco patebit. Vt verò magnificentia (quæ non videtur admittere nimium & parum quod in magnis est) est in medio ratione objecti, in quo versatur, quod ipse Aristot. videtur docere lib. 4. cap. 4.: Sic virtutes heroicæ medium tenent, sed suo modo, eoq; heroico.

Cap. VII. 11. *Equidem* hoc medium *in singulis erat ostendendum virtutis speciebus, quo tamen supersedebimus labore, donec ad singularem tractationem perveneri-mus,* jam verò de numero.

12. *Aristot. undecim hoc loco numerat. Cic. quatuor, quas cardinales vocant. Prudentiam: Fortitudinem: Justitiam: Temperantiam. Quæ tamen diversitas tolletur, tum cum didicerimus Aristot. à proprijs objectis numerum suum exordiri. Ciceronem à subjecto, juxta divisionem animi Platonicam, lib. 4. & 9. Polit. tum ubi si quæ non expressè sint,*

cæteris

cæteris annumerentur, Cum ipso Platone tamen lis futura est, qui virtutes omnes dicit unam, *quam tamen una hac lenimus hypoth. Virtus consideratur, vel in specie discretim, quatenus quæq; suam essentiam habet propriam: vel conjunctim, quatenus vel omnes in justo terminant, vel omnes à prudentia diriguntur. Priori ergò modo virtutes sunt plures, posteriori verò una: Vel justitia universalis ratione finis ex Piccol. grad. 4. cap. 27. ex quo: justitia in se virtutes complectitur omnes. Vel prudentia ratione directionis, comprehensionis, & principij idem grad. eod. cap. 22. Hinc Aristot. lib. 6. Ethic. cap. ultimo: Socrates quidem partim rectè quærebat, partim errabat, quod virtutes omnes prudentias esse putarit, quod autem eas non sine prudentia censuit, rectè dixit.* An una sit virtus.

13. *Quod verò distinctæ sint id altius ostendit Piccolom. 1. à subjecto, prudentia*

dentia est virtus intellectus, morales appetitus. 2. ab effecto, prudentia ordinat virtutes ad finem, morales nos præparat ad finem, illius enim est dirigere, hujus verò exequi 3. à forma, propter prudentiam non dicimur mali, quod tamen fit propter virtutes morales, ubi nimirum ab hu discesserimus.

15. Ut verò quæ contra opponuntur tolli facilius queant, Respons. Piccol. ad has restringo hypoth. I. Species speciei opponi debet, genus generi, non species generi. differentiæ n. specificæ oppositionem faciunt non genericæ subordinatæ. homo namq; non opponitur leoni ut animal, sed ut homo. II. Unum contrarium sæpius habet plura contraria. Cum namq; una sit Sanitas, non propterea est una ægritudo. III. Non continuò idem sunt essentia, quæ invicem de se prædicantur. Sic enim accidens futurum esset substantia. IV. Non continuo unum & idem sunt forma-

formaliter, quæ uno corruente, unà corruunt. Sic namq; tectum, quod corruẽte pariete corruit, esset paries. Si ergò opponitur virtuti prudentiæ unicam opponi insaniam, ex quo etiã una sit virtus? prior succurrit, quippe quæ oppositio non fit ut Species speciei, sed ut Species insania, principio virtutum universo. Cum etiam, etsi unicum daretur oppositum vitium, propterea non daretur una virtus quod ex hypoth. 2. patet. Quod si verò opponi eas quis dicet ut genus generi? eodem ipso concedet, virtutes dari plures, quod nullum genus sine suis esse potest speciebus, quamvis nullo concedamus modo prudentiam esse genus virtutum omnium, etsi sit principium. Si quod invicem de se prædicentur justitia temperans, temperantia justa, 3. solvit, quamvis hæc prædicatio non procedat in proprijs, etiamsi procedat in communibus. Si quod una collabente collabantur cæteræ? ex connexione, id habent, non verò ex essentia propria.

15. Ex collatione autem termino- Cap. VIII.

rum

rum, tres oriuntur oppositiones, quarum prior est medij cum extremis: mediocritas enim relata ad utrumque extremum, modò hoc, modò cum illo similitudinem habet, modò minorem, modò majorem, ex quo etiam hæc oppositio non simplex dicitur, sed quæ est ἐμ ὑπεροχῇ, quod modò medium superat, modò superatur. Quemadmodum enim æquale ad minus quidem majus est, ad majus verò minus: Sic etiam habitus ad sua extrema. Fortis enim ad timidum apparet audax, ad audacem timidus. Unde etiam audax ad timidum vult haberi fortis, prodigus ad avarum liberalis. Cic. in partit. Prudentiam malitia, liberalitatem effusio, fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritiei immanis, justitiam acerbitas, religionem superstitio, lenitatem mollicia animi & verecundiam timiditas. Secunda est vitiorum inter sese: ubi oppositio major, tum, quod longius inter sese distant invicem, quàm à medio, ut parvum à magno magis distat, quàm ab æquali: tum quia dissimilitudo est major, differt enim audax magis

à timi-

à timido quàm à forti. Posterior est extremorum cum medio. Cum namque virtus magis dissimilis ab hoc extremo, quàm ab illo sit; Et nos quoq; huic vitio magis quàm illi faveamus, fit, ut suprà erat collatio in Exuperantia, & Defectu, hic oriatur simul pugna. Vbi tamen definiri nil potest in genere, nam excessus modò magis pugnat quàm defectus, cũ medio, modò defectus, quandoquidem medium sese diversimodè habet, quod ostendetur in singulis.

16. Verùm enimverò cum difficillimum sit ad divinum hunc scopum collimare, Circuli enim medium invenire non nisi scientis est, ab Aristot. nobis via commonstratur tribus admonitionibus.

I. Illud extremum quod medio magis aversatur, magis fugiendum, recedendum ad id, quod cum eodem magis convenit. inter namq; duo mala minus eligi tutius est. Sic Circe Vlyssem in patriam rediturum admonebat, ut Charybdim fugeret, tanquam scopulum periculosiorem, ad scyllam reflecteret magis. Homer. lib. 12. Odiss. Vbi tamen cautè agendum ne dum

ab al-

ab altero deflectimus in aliud incidamus, & audire cogamur : incidit in Scyllam qui vult vitare Charybidem. II. Ad quæ vitia natura proclivores nos reddidit, ab iis omni conatu est recedendum, non aliter ac si lignum curvum sit rectificandum, idem in contrariam partem curvatur: sic homo, qui est avaritiæ deditus, curvabitur ad prodigalitatem. III. Quicquid agitur, id ita agendum, ne omnino voluptatem habeamus ducem. Horatius: Sperne voluptates : nocet empta dolore voluptas. Hæc namq; est ita corrupta, ut nunquam possimus de rebus rectè judicare. ut enim est domina blandissima, ita sæpè animum à virtute torquet. Cic. lib. 2. offic. Vndè à Platone dicitur malorum omnium pabulum quare eam dimittamus & suis se finibus tenere jubeamus, ne blanditijs ejus illecebrisq; capiamur Cic. de finibus lib. 3. Campanæ enim voluptates lengè magis Annibali, quam in viæ alpes, hostium exercitus & civium suorum simultates obfuerunt, Patritius lib. 4. de Regno & Regis institit. 13.

rit. 13. Idq; eo potius, quod ardua & difficilis via est ad virtutem, prona & facilis ad voluptatem. Imitabimur hac in parte Trojanos, quos etsi multum afficiebat Helenæ pulchritudo, tamen ut periculum effugerent, maluerunt eam dimittere, quam retinere. In primis verò Herculem, qui, ut est apud Cic. in officijs, cum inter virtutem, matronam, vitam difficilimam pollicentem, sed conjunctim famam & gloriam perpetuam, quæ nulla ævi diuturnitate obliterari posset, & puellam quandam speciosissimam, purpura, gemmisq; nitentem, & omnis generis delicias spondentem, post mortem autem non nisi famam mortuam relicturam, in bivio stans, tandem cognoscens, hanc pellicem illam esse, quæ per illecebras & voluptates blandas, obsequentes ad interitum traheret, illam verò matronam pulcerrimam, quæ per labores ad immortalitatem duceret, ad virtutem deflexit. Sed enim quærere hic quis poterat, primò, an non contrarientur sibi invicem præceptum prius, & secundum, cũ ibi dicatur, ad id, quod medio magis ad-

An præcepta hæc contraria,

gis adversatur esse recedendum: Hic v. qui huic vitio sit magis deditus, eum ad illud, ad quod minùs à natura protendit, oportere reflectere, cum tamen poterit prodigalitati quis esse deditus, ubi certè, si ad avaritiam reflectitur, non receditur à majori vitio, sed ad idem acceditur? Cui obvenio hisce hypothesibus. I. Accurata tractatio in contingentibus non potest haberi, quod ἀκρίβεια inaternis & necessariis est. II. Generalis locutio non contrariatur singulari. Cum ergò nec hic sit perpetua, & ex necessitate se eodem modo habens materia, id quod in priori præcepto dictum est generaliter, minimè contrariabitur, secundo. Si maximè hoc observabitur, modo oportere ad exuperantiam, modo ad defectionem declinari. Quærat quis secundo An ex vitio possit progenerari virtus? affirmatur, quia ad avaritiam reflectens prodigus fit liberalis. Sed distinguitur 1. quod hoc non fit per se. Virtutis enim corruptio vitium est, non generatio: sed per accidens

In contingentibus scilicet quæ diversationis.

An ex vitio virtus.

2. &

2. & nõ virtutis causa, sed actionum 3. non perfectarum, sed moderatarum. Goclenius probl. Eth. 51. & 52. & certè ut curvitas ligni non est rectitudinis causa, sic nec vitium virtutis. Ad priora præcepta Anacharsis Scytha mihi aureum hoc præscribit, ut vitiorum deformitatem ob oculos ponam. Quicunq; Sobrius fieri vult turpes ebriorum motus intueatur. quod præceptum Lacedæmonij per servos exercuerunt in juvenibus. Plutarchus in instit. Laconicis. Præceptũ Anacharsis.

Ethicotheologica.

I. Vt felicitas humana nobis competit per virtutem, hæc autem per rectam rationem, virtutis enim regula una est recta ratio, Seneca: Ita supra dictum felicitatem divinam nobis non competere nisi per fidem, meritum Christi certa fiducia sibi applicantem, etsi modo plane contrario, fides autem ex dono & gratia Dei singulari. Verùm enimverò cum virtus inter duo sit extrema, excessum & defectum; fides unum tantum habet contrarium

quod est incredulitas. creduli namq; & in-
creduli totum genus discernunt huma-
num. Cum namq; nimium non poterimus
fidere Deo, quemadmodum nec Deum dil-
gere nimis possumus: Sic enim Ber-
ardus in libro de diligendo Deo: modu
autem diligendi Deum est sine modo di-
ligere, ex quo fit, ut si possemus, in infinitum
eum diligendo nõ peccemus. Si modò in ips
solo amorem finiremus, quamvis enim
nullum terminum habere debet devoti
amantis, tamen terminos suos, & fines, &
regulas habere debet actio operantis Ber-
ardus ad fratres de monte Dei: Extre-
mum, quod est in excessu, fides non hab-
bit. Quamvis nemo negabit ipsam hab-
re gradus, quod ipsum docet ipse Christu
in discipulis Matth. 17. v. 20. si hab-
eritis fidem sicuti granum Sinapis
neq; quicquam impossibile erit vobis: I
Chananæa Matth. 15. v. 28. ô mulier
magna est fides tua: In Centurion
Matth. 8. v. 10. ne in Israel quidem
tantum fidei reperi. Hinc notandu
duple

duplex etiam respectus virtutis, alter ad hominem alter ad Deum. Virtutes enim quomodo ad hominem referuntur habent ἐxuperantiam & defectum, liberalitatis enim excessus est prodigalitas, defectus avaritia. Quo ad Deum simul curvitatem formæ, quæ consistit in fine non ordinato ad Deum. Etiamsi itaq; Aristides justus prædicetur justitia humana, quod nec in exuperantia, nec in defuctu peccavit justitiæ: tamen cum ipsum hoc medium non in verum finem direxerit, justitiâ hac apud Deum non Excusabitur. Quodcunq; enim in Deum non dirigitur, sine fide est, quod sine fide est, peccatum est. quod peccatum est, Deo nausea est. Non enim volens iniquitatem hic est Psal. 5. v. 5.

II. Quod Aristot. dicit, virtutem quo ad δύναμιν naturalem nobis inesse: verum erit, si illa δύναμις ad ea quæ sunt humana referatur (quamvis & sic sit bonum divinum, promanans ex generali ejus gratia, qua tum bonos, tum malos clementèr complectitur) Si ad bona divina

falsissimum. omne enim nostri cordis figmentum malum Gen. 8. Erras itaq; Seneca, etiamsi cum Paulo vixeris, cujus vitam vidisti, pietatem & fidem non intellexisti, quando doces, non nasci nobiscum virtutes, super venisse eadem, & ingesta esse. Epistola 96. Erras Aristoteles lib. 2. Ethic. cap. 1. lib. 2. cap. 4. qui malos non nasci negas, sed effici. quamvis id rectè dicis, etiã si falsò statuis, si δύναμιν nobis in esse ad bonum divinum statuis, hominem non nasci bonum, sed effici. An verò aliquando verum fuerit Homo natura bonus est. id ut de tota hominis perfectione intelligendum est; sic ante lapsum fuit verum, sed tamen & hæc perfectio donum dei merum, quia non ab homine profectum aut promeritum, sed gratis datum. Dico natura: quia omnis virtus quatenus jam in homine est, non inest nisi crebra actione, tum quoad inchoationem, præter naturalem potentiam, tum quo ad consummationem. Adam autem habuit virtutes non comparatas, sed ipsa cum vita divinitus datas.

Disputatio sexta

EX LIB. III. CAP. 1. ET 2. DE ἑκουσίῳ, ἀκουσίῳ & προαιρέσει.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

ad VIII. Augusti

Respondente

TIMOTHEO SCRVVIRSSE

VVolgast. Pom.

THESIS I.

VT *forma rem à re distinguit, sic etiam materiam reddit variam. Cum ergò actionum formæ sint variæ, fit etiam, ipsæ actiones sint variæ, de qua varietate amplius erit agendum, ut ipsa differentia virtutis, ἕξις προαιρετικὴ, plenius introspiciatur, undè conclud. I.* Cap. I. Sympos. I.

Actiones sunt aut spontaneæ; aut invitæ: aut mixtæ.

2. *Equidem de* spontaneo, *&* invito *hîc agendum, tum quod ex hisce o-*

mnis laus, & vituperium in actionibus, tum quod hinc præmia & pœnas decernere debebunt legumlatores, hoc est, ut uno verbo, quia sunt actionum forma.

3. *Verum cum spontanea actio, aut etiam invita, quid sit nosse nemo possit, nisi quid sit spontaneum dignoscatur conclud.*

Symp. II. *II.* Invitum, ἀκούσιον fit vel per vim, vel per ignorantiam. *idq; non sine ratione. Cum enim spontè sequatur vel ipsam rem, vel rei cognitionem, contrariorum autem eadem sit natura, invitum erit, quo ad ipsam rẽ, in qua vis: quando lapis sursũ fertur: & quo ad cognitionẽ, in qua ignorantia ex Pic. grad. 2. c. 12.*

4. *Cum verò, quod distincta sunt, distinctis egeant definitionibus Concl. III.*

Symp. III. Invitum per violentiam, βίαιον, est

Actiones violentæ. οὗ ἡ ἀρχὴ ἐξωθεν τοιαύτη οὖσα, ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλεται ὁ πραττων, ἢ πάσχων, cujus principium, est extrinsecus 2. & tale, ut nihil ad id conferat agens, aut patiens. *Vt: Si quis navigans vento impellatur ad scopulum: aut martyr trahatur ad rogum à potenti. Re-*

Et au-

Hè autem dicitur principium quod est extrinsecus. opponitur enim violentum naturali, & quidem per formam propriam. Cum autem naturalinm forma sit principium internum, necesse est, ut id, quod est violentum, definiatur per externum ex principio 2. physic. Piccol. grad. 2. cap. 15.

5. Verumenimverò cum potentior possit ad rogum ducere, mortem minitari, & simul etiam turpe aliquod agendum proponere, inter quæ tamen liberam linquat electionem, vel mortis, vel actionis turpis: & nauta interdum à vento ita pellatur, ut possit salvus esse, si modo merces ejecerit, quæritur, si merces ejiciat, nauta, turpe eligat martyr, sponte agant vel invitè? respondetur quod tum sponte, tum invitè, ex quo dicuntur hæ actiones mixtæ, πράξεις μικταὶ, sed tamen magis sponte, quandoquidem principium non est extra agentem, sed in ipso, quod eligit turpe pro morte occidendus: Salutem navis pro merce nauta, actio, autem judicanda est ex agendi tempore.

Actiones mixtæ.

6. *Huic subvenitur his hypothesis.* *I. Omnes rei determinatio, seu denominatio sumenda erit à forma, non à materia. II. Tum quando malum eligitur, qui bonus fuit ante, si malum eligat majus pro minore bono, non amplius est bonus: Sin minus malum pro majori bono, malum fit bonum, non absolutè, sed comparatè.* *Si ergò opponitur: Quæ sunt absolutè mala non possunt suâ naturâ fieri sponte à viro bono? Respondendum suâ naturâ esse mala, sed tamen ex voluntate & principio agentis, cujus ratione actio fit, spontanea. Si quod vir bonus non possit sua naturâ eligere quod est pessimum. Hoc quando eligit, non est vir bonus. Sed tamen non constinuò est malus, si minus malum eligit, pro majori bono.*

7. *At verò cum voluntarium consequatur laus, & vituperium, involuntarium venia, & non venia, mixta autem a-*

tioni

Actiones sint & ἀκόσιαι & ἑκόσιαι *conclud.*

IV. Actiones μικταὶ partim vel laudem merentur, vel vituperium: partim vel veniam, vel non veniam.

8. *Quod ut percipiatur hæc notanda hypoth. Actiones sunt judicandæ non solum juxta electionem, quàm sequitur laus & vituperium: Sed & juxta necessitatem, quam sequitur venia, & non venia seu accusatio. Si ergò eligatur minus malum pro majori bono, ut si quis malit ire in exilium, quam patriam prodere, laudem merebitur, sin contra vituperium. Si coactus tormentis falsum quis confessus fuerit, veniam merebitur, sin verò extremum quid commiserit mali, ut si impellitur Alcmæon ad matrem interficiendam, vituperandus maximè. Hic namq; vis nulla valet, sed potius moriendum erit.*

9. *Perpulchra hîc discuti poterat quæstio, ni modò futura esset odiosa; Sed tamen, ut*

men, ut spero, dabitur aliquid arti. Sint vinculis inclusi milites, cum plebejis nobiles: non longè posit truncandi. nullus detur carnifex. detur porrò electio, hic vel ille vel carnificis subeat munus, & vivat, vel ipse moriatur. Jam hic eligat carnificis officium, vel potius opificium, non enim semper est maleficium, quæritur an sponte vel invite? Respondetur quidem quod actio sit mixta, sed tamen magis spontanea. Laudanda ne? nequaquam. Venia ergò digna? Vita equidem, & fama pari passu ambulant, sed qui jam tales, cũ prole perpetuâ notantur infamiâ? At cogit vita? plærũq; quæ expectantur molesta sunt, quæ verò cogunt turpia. quamvis nulla hìc sit coactio sed libera electio. Sed ne simus odiosi, quæ sunt nauseæ viro bono mittimus.

10. Itaq; duobus malis propositis providè agat in eligendo vir bonus. Quid autem pro quo eligendum sit non facile est definire. Et si elegerit, in eo qnod est molestiùs persistet fortiter. quamvis autem

illud

illud sit difficilè, hoc tamen est difficilius.

II. Attamen non omnia quæ trahere videntur sunt violenta, quare nec ea quæ sunt jucunda aut honesta. Sic namq; 1. ōnes actiones essent violentæ, quomodo tolleretur omnis libera agendi potestas 2. turpe esset accusare quæ extrinsecus sunt, non verò se ipsum, quod ita facile rerum externarum cupiditate trahatur 3. & nulla deniq; actio honesta esset libera, sed violenta omnis. jucunda non sunt violenta.

12. Cæterum cum ea, quæ per imprudentiam fiunt, non videantur sese uno & eodem modo habere, Concluditur V. Symp. V.

Aliud est agere per ignorantiam διὰ ἄγνοιαν: Aliud ignorantem ἀγνοοῦντα ποιεῖν.

13. Equidem involuntarium per ignorantiam est cujus principium est ignorantia singularum rerum, & ubi ignorantia est facti causa, ex quo dicitur ignorantia facti, seu quando quis errat in circumstantiis, τῶν καθ' ἕκαστα, quales sunt quis agat, quid agat, circa quid, quo agat, cujus gratia, & quo modo. quæ tamen omnes

mnes ignorari non possunt, nisi ipse agens amens sit. Hæc si sit conjuncta cum pœnitentia ἄγνοια ἑκούσιος *& meribitur veniam, & misericordiam. Sic agens dicitur* ἄκων, *seu invitus feciſſe, ſi modo ſit abſq; dolo, & non ſit noſtra culpa accerſita. Si verò ſit abq; pœnitentia* ἄγνοια ἀκούσιος, *actio dicitur,* μὴ ἑκόσιον *non ſpontanea; quod hic actio ſubſequens & antecedens reſpiciendæ. Etſi enim ratione antecedentis actionis non egerit ſponte agens; tamen ratione ſubſequentis non egit invitè.* Ignorans autem *agit non ex ignorantia, ſed ex affectu quodam & habitu, & ſic agit ut planè ignoret finem ſuæ actionis. Itaq; etſi ignoret quid agat, tamen ignorantia non eſt cauſa actionis, ſed vitium ipſum quod agit, dicitur ignorantia juris* τὸ καθόλου *craſſa, ſupina, affectata propterea quod non ſolum ſtultum ignorare ſuarum actionum finem, ſed quod etiam reprehenſione dignum.*

14. *Ex hiſce colligitur Concluſio VI.*

Actiones Spontaneæ. ἑκούσιόν ἐστιν οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. Sponte eſt illud

illud cujus principium est in ipso agente, & sciente singularia, in quibus actio.

15. *At suboritur hîc dubitatio quonam loco habenda sint quæ ex affectu aliquo fiunt vehementi? De quo Aristot. sic Concludit. VII.* Quæ ex affectu aliquo fiunt vehementiori, ut ira, & voluptate sunt spontanea: *alias enim 1. quæ ab infantibus & brutis fiût essêt invita 2. honesta, quæ agimus ex voluptate, non essent spontanea 3. omnia, quæ sic appetimus, essent molesta, quæ enim invitè agimus molesta sunt 4. quod principia agendi non sunt extra nos, sed in nobis.* Symp. VII. Ex affectu vehementiori sunt spontanea.

16. *Quæ ut stent firma hæ notandæ hypoth. I. Sponte, quod opponitur & contradistinguitur violento & facto per ignorantiam, distinguendum ab eo, quod opponitur ei, quod fit à principio aliquo adumbrato ab appetitu, & principium exter-*

externum inviti, à principio interno. II. Non omnia quæ sunt mala sunt invita. alias enim quæcunque actiones inhonestæ essent invitæ, & ex ea excusandæ. III. Neq; omnia quæ fiunt ira, aut voluptate sunt mala omnia. alias irasci malis malum esset, & inhonestum honesta appetere. Quod si jam opponitur Platonem ejusmodi actiones nec habere invitas, nec spontaneas: Nam ille qui iram servat, nec repentè interficit, homicidæ voluntario est persimilis, at qui absq; præmeditatione primo impetu interficit, involuntario homicidæ similis judicatur, non tamen omnino involuntarius est: Sed mediare inter invitas & spontaneas dialogo. 9. de legibus prima succurrit, quippe quod Plato non solum pro invito habet quod extra est, sed quod appetitu commotum succumbit. Si quod ea quæ per cupiditatem, aut

Platonis verba.

tem, aut iram fiunt, sint mala: posterior excipit.

17. *Cum verò supra dictum sit, nisi ea quæ fiunt ex affectu sint Spontanea, non solum pueros, sed etiam bruta quæq; actura invitè quæritur* num etiam in bruta cadat spontaneum? *Cui solutioni sic subvenio. Spontaneum est cum appetitu; ut quando lapis sponte deorsum fertur: cum cognitione; ut quando canis sponte aurum linquit, carnem arripit, quæ opponuntur invito, quæ est per vim: cum ratione, & voluntate, quando homo ad bona sponte inclinat, fugit quæ sunt mala. quod opponitur invito, quod tum est per vim, tum per ignorantiam. Quod si ergò opponitur* 1. *Sponte esse cum cognitione, cum ratione conjuncta.* 2. *Exinde laudem sequi & vituperium: præmia & pœnas in actionibus? Spontaneum tertij generis assumitur, præteritur quod est generum priorum, à quibus tamen voluntarium, cum ratione conjunctum, cum voluntas hæc tantum*

sit hominis, longè est secernendum.

18. *Neq; etiam abs re hic quæritur* An quæ sunt mala possint etiam fieri bona. *Supra enim dictum qui minus malum eligat ob majus bonum non continuò esse malum. Cui subvenient hæ hypoth. I. Malum consideratum aut ratione sui absolutè, aut relatione ad aliud majus. II. Absolutè malum, & alicui utile non pugnant. III. Quod est per se malū, nunquam fit natura bonum, relatum ad majus induit rationem boni. Quod si ergò opponitur, quod per se est tale, nec per se nec ex eventu potest reddi malum? cum malum, & utile alicui non pugnent, & quatenus malum per se consideratum nunquam fiat bonum sua natura, ratione autem boni induat, quatenus refertur ad majus malum, falsum enim confiteri minus est malum, quam peccatum prodere, regula vera erit, non de ijs quæ in comparatione sunt, sed quæ sunt per se & absolutè talia.*

19. Fun

19. *Jam verò ad differentiam quo propius deveniamus virtutis, de ipsa προαιρέσει erit agendum, quippe cujus mentio fit in ipsa definitione, & ex qua mores magis dignoscuntur, quam ex ipsa actione. Quod tamen posterius sic palam facio. I. Res dignoscuntur vel judicio sensus & confuse: vel judicio rationis, & distinctim, seu exquisitè II. quod tamen ferè idem Res cognoscuntur vel à priori, ut causa, vel à posteriori, ut effecto & signo. Quod si ergò opponitur Actionem currere in sensus, quorum cognitio certior? cognitio certior negabitur, quippe quod sensus sæpe fallũt, & hypocriticã pietatẽ sæpe dißimulẽt, qui sunt hypocritæ summi, confusa tamen cognitio nõ negabitur. Si quod arbor bona ex bonis fructibus? cognitio à posteriori est, cum tamen ipse fructus non possit discerni an sit bonus, vel malus, nisi ex forma interna, sæpe enim pomum formâ pulcherrimum, sapore maximè acerbum est. Vt ergò à posteriori cognoscitur*

An mores judicẽtur potius ex electione quam ex actione.

actio per sensus ex actione, sic à priori judicio rationis ex electione. quæ cognitio firmior 1. quod res magis per formam innotescit quam per signum 2. quia sensus sæpe fallunt, & quia deniq; is, qui optimus est moribus, interdum nihil agit.

Symp. I. 20. Concluditur ergò 1. προαίρεσις dicitur enim sic quasi πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν præ aliis electum ἑκούσιον præ electio est spontaneum. Quod ut intelligatur distinguuntur ambo ut genus & species. quamvis enim omne quod est προαιρετὸν sit etiam ἑκούσιον non tamen, quicquid est spontaneũ, continuò ex præelectione est. quod hac hypoth. convincitur. Spontaneum convenit etiam pueris, & animalibus cæteris: est etiam in repentinis, in quibus tamen cum non sit προαίρεσις unum & idem utraq; non erunt.

21. In Bestijs non esse præelectionem sic evinco. Aliud est instinctu naturæ & sensuum cognitione agere, & trahi ad jucunditatem: Aliud ratione eligere, & ad utilitatem & bo-

& bonum. *Quod si ergò opponitur Canem præ auro eligere carnem? id fiet non ex ratione ad bonum utile, sed ex sensuum & naturæ instinctu ad bonũ jucũdũ.*

22. *Dubium tamen erit futurum de* pueris *juxta alios, juxta Aristotelem verò nullum, quod sic evincitur. I. Alia est ratio; Aliud rationis usus. II. Alia est electio communis & sine consilio: Alia propria, quæ ex judicio rationis promanat, formata consilio. Quod si ergò opponitur pueros rationis esse capaces? Rationis usu tamen destituentur. quandoquidem id, quod eligunt, ex affectu trahente eligunt, non ex ratione, quod organa nimis humida & laxa. Si quod cibum cibo, aurum æri, potum potui præferant? Et hoc nec prælectione, sed ex ductu sensuum.*

23. *At enim cum προαιρεσις à genere diverso sit distincta, distinguenda etiam erit à speciebus alii. Vnde Conclud. II.* προαίρεσις non est cupiditas: non Symp. II.

est ira: non est voluntas: non est opinio.

24. Quod ad cupiditatem *hac hypoth. ostenditur*: ἐπιθυμία 1. *est res communis pueris, & bestiis* 2. *non est semper cum ratione, quae enim continens agit, cum ratione agit, quae incontinens, sine ratione* 3. *Sibi non adversatur* 4. *versatur circa jucunda & molesta. Cum verò* προαίρεσις *versetur circa utilia & honesta: adversetur ipsi cupiditati: Semper sit cum ratione: non sit in brutis vel in pueris, quod ante ostensum est, proaeresis non erit cupiditas.*

25. Quod ad Iram *hac hypoth. evincitur*: θυμὸς 1. *non est cum ratione Cic. cum ira nihil rectè, nihil moderatè fieri potest.* 2. *non habet in tempore moram, unde dicitur furor brevis. Praelectio autem cum sit nunquam sine ratione: non possit nisi in tempore fieri, & mora, non erit* θυμὸς

26. Quod

26. Quod nec sit voluntas *sic probatur*: βούλησις *enim* 1. *est eorum tum quæ fieri possunt, tum quæ non possunt fieri; possumus enim & velle immortalitatem, & omnia ea quæ sunt supra nos.* 2. *est eorum, quæ etiam sunt aliena. Ut possumus velle hic vel ille vincat athleta:* 3. *est occupata circa finem. Cum autem nemo nisi stolidus præeligat quæ non sunt in sua potestate: quæ non sunt sua. præelectio enim omninò est eorum quæ in nobis sunt. & præeligamus non finem, sed media ad eum,* προαίρεσις *nec erit* βούλησις.

27. *Quæritur autem hìc an verum sit quod dicitur: Nos non præeligere finem, sed media ad finem? quod sic distinguitur. Finis est vel ad finem ultimum, & est ipsum medium: vel est illud propter quod sunt media. Quod ergò opponitur non esse verum quod dicitur, siquidem studiosus certam studiorum facultatem eligat: miles militiam,* An finis eligatur.

tanquam vitæ finem? facilis est responsio, quandoquidem uterq; eligit finem, non ultimum, sed illum qui est ad ultimum, seu & studiosus & miles certam vitæ conditionem eligunt, per quam, tanquam per medium, devenire possint ad felicitatem.

28. Quod deniq; nec sit opinio hac patet hypoth. Δόξα 1. versatur circa res omnes, sive sint in nobis, & caducæ, sive sint extra nos, & æternæ 2. æstimatur, & distinguitur falso & vero. 3. non facit ut simus cujusdammodi, ποιόι τινες, tales vel tales 4. versatur in cognitione 5. laudatur propterea quod est vera, vituperatur quod est falsa 6. est præterea circa ea quæ sunt etiam non admodum bona. 7. & neminem facit meliorē. Jam verò cum electio tantum sit de rebus agendis ijs, quæ in nostra sunt potestate: æstimetur, & distinguatur bono & malo: faciat ut simus tales vel tales, justi vel injusti,

justi: Sit in electione & fuga: laudetur quod honesta & utilis, vituperetur quod inhonesta, & prava: versetur circa ea quæ scimus optima: (intellige medium non finem) non faciat modo meliores nomine, sed & reipsa reddat bonos, quod conclusum est stabit immotum.

29. *Ex hisce universis colligitur.* Symp. III. *III.* προαίρεσις est quod sponte est ἑκούσιον προβεβουλευμένον & ante habet deliberationem. *Cum enim omnis præelectio cum ratione, & mentis discursu sit, ipsum etiam vocabulum* προαίρετον *aliud nihil ostendit quam* τὸ πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν *ante alia eligendum.*

Ethicotheologica.

I. Ut in foro soli datur invitum & spontaneum, ita etiam non omninò absunt hæc à foro poli. Ut namque delinquentes hîc sese excusant, quod, quæ egerint, non libentèr egerint, sed jam per ignorantiam, jam per vim & necessitatem: Ita qui à elicitate divina decesserint, modo vim

accusabunt, ut qui aliquando à Pontificiis, vel persecutoribus fidei aliis, ad abnegationem divini nominis aguntur: modo ignorantiam, ut gentiles. Verum etsi detur ex hisce aliqua excusatio in foro soli, tamen in foro poli excusatio nulla erit. Vt n. nõ timendi sunt qui corpus interficiunt, sed is qui corpus & animam perdere potest in gehenna, Matt. 10. v. 28. Sic perscrutanda scriptura Joan. 5. v. 39.

II. Etiamsi vita æterna non est ex nobis, sed merum donum dei, gratis enim recipimur propter Christum Rom. 3. v. 24. Ephes. 2. v. 8. tamen προαίρεσις datur ad eam. Paulus τὸ θέλειν παράκειταί μοι Roman. 7. v. 18. Sed hoc ipsum donum Dei merum, & in renatis.

III. Vt mores dignoscuntur magis ex electione, quam ex actione, sic pij & electi ex fide magis, quam ex operibus. hæc enim sæpius sunt hypocritica, illa verò semper certa, ac firma.

Disputatio septima

EX LIB. III. CAP. 3. 4. & 5. De βουλευσει & βουλήσει.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

Ad diem XV. Augusti

Respondente

HIERONYMO RIBOVIO VVismariensi Megapol.

THESIS I.

Effectum sine cognitione suæ causæ perfectè non cognoscitur, quod relatorum alterum sine altero non intelligitur. Itaq; βουλευσεως & βουλήσεως est habenda ratio, quod βουλευσεως finis & est προαίρεσις Acciaj. hoc c. hæc autem nunquam fit sine βουλήσει. Cap. III.

2. Verum hic quis Aristot. reprehendat, quod quæ sunt naturâ priora post ponat ijs, quæ sunt posteriora, consultatio namq; subjicitur præelectioni, cum tamen præele-

præelectionis causa consultatio fit, atq; adeo etiam voluntas causa utriusq;.

3. Vbi ut vindicetur has suppono hypoth. I. Non continuò quod naturâ ordine est prius, prius etiam est ordine doctrinæ & cognitionis. alias namq; unus esset ordo, non plures, cum tamen idem natura non contradicat, esset enim sic via Thebis tantum Athenas, non verò etiam Athenis Thebas. II. Quod ultimum est naturâ, id sæpe primum est intentione. Sic civitas prior est domibus intentione conditoris, domus v. sunt priores civitate natura. III. Finis idem aliquando est causa, aliquando effectus ratione diversa. rabarella ad cont. 25. 2. poste. Quatenus enim consideratur, ut quid productum, eatenus est effectum. Quatenus autem ut ab agente est quid concupitum, eatenus est causa. Quod si jam opponitur, causam esse priorem suo effectu, & exinde consultationem & voluntatem priorem repetere locum? prima

negat hypoth. Cum etiã præelectio sit intẽtione prior, cum enim quid eligere intendimus, tum demum consultationem suscipimus, etsi non eligamus, antequam consultaverimus. At tamen de voluntate nil erit responsum, quod hæc & naturâ & intentione prior? Hæc tum causa est & præelectionis & consultationis, quatenus scilicet rem primum volumus: tum finis & effectus, quando ex consultatione & electione voluntatem complevimus, ut distinguit hypoth. tertia. Consultatio.

4. *De Consultatione ergò sic primum concluditur I.* βέλευσις est eorum de quibus, qui mentem sit habiturus, consultabit, non de quo aliquis stolidus. *Hic enim non nisi vana agit aut cogitat, consultatio autem est de rebus, & quæ fieri possunt.* Symp. 2.

5. *Quæ ut explicentur, cum generalis hîc sit præceptio. Concluditur II. Cum causæ rerum sint, natura, necessitas, fortuna, & mens humana,* consultatio non erit de ijs, quæ sunt à necessitate, *ut æternis*: non de naturalibus, an

ignis.

ignis sit calidus: non de fortitutis, *ut thesauri inventio.*

6. *Equidem quo ad ea, quæ sunt ex necessitate, id sic demonstrari poterat. Omnis Consultatio suscipitur vel ut res fit, vel ut non fit. Jam autem quæ ex necessitate, vel sunt, vel nõ sunt. Quæ autem sunt, ea non potest fieri quin sint. Quæ non sunt, & ex necessitate non sunt, ut plures esse Deos, fieri non potest ut sint. Ex quo nemo nisi stultus de his consultabit.*

7. *Quod ad naturalia, ea vel semper uno & eodem modo contingunt, ut ortus & occasus syderum; vel diversimodè sese habent, ut imbres & pluviæ. neutrum tamen sub consultationem venit, quia nec sunt in potestate humana.*

8. *Quod ad fortuita, à consultatione & hæc excluduntur, quod horum causa est extra nos, de quibus autem fit consultatio, eorum principium est in nobis. Relinquentur ergo humana.*

9. *Verum cum nec humana omnia ad nos pertinere videntur, Concluditur.*

Symp. III. **III. De humanis quæ in nostra**

sunt

sunt potestate, quæ agi possunt, & ad nos referuntur, quæ non definita exitum habent varium, ἐν οἷς ἀδιόριστον, & sic sunt constituta ut modo possint elici si velimus, impediri si nolimus.

10. *Excludentur ergò* 1. aliena *de his namq; non consultamus. Scythæ enim quomodo optimè Rempubl. administrent nemo de Lacedæmonijs deliberat.* 2. Exactæ scientiæ *quandoquidem id quod exactum est, sua natura à nobis reddi aliter non potest, nec enim de eodem dubitamus. Itaq; cum literæ per artem sint determinatæ, de his non dubitabimus, neq; etiam consultabimus. Quæ ut vindicentur has præmitto hypoth.*

11. *I. Ut nobis non solum nati sumus sed amicis, & patriæ: ita amicus est ego alter, non diversus. Aristot. hoc loci. quæ enim ab amicis proficiscuntur à nobis quodammodo proficiscuntur, quia principium est in nobis.*

Itaque

Ita quæ pro Patrio consultamus, nobis ipsis consultamus. II. Quæ consultatio suo fine destituitur, ea aut frustrâ est, aut gratia exercitij assumitur. III. Aliud est consultare de modo ad aliquam rẽ proveniendi: Aliud ipsam rem decernendi. IV. Aliud est inquisitio Aliud consultatio. Quod si jam opponitur nos consultare de ijs quæ ad amicos, & quæ ad principes pertinent? & hæc nostra sunt, juxta hypoth. primam. Si quod sæpe consultare possimus atq; etiam consultemus, quomodo hic vel ille & alienus negocia sua esset recte administraturus? cum hæc consultatio suscipiatur propterea ut in nostris simus perspectiores, exercitium est, & cum finem non attingat, etiam frustra. Si quod sæpè consultemus, quomodo scientes reddamur? non de ipsis scientijs fit consultatio, sed de modo & via ad eas. Si quod sæpè de mediis seu principijs simus solliciti, ex quibus

scientia

scientiam pariamus? Inquisitio hic est non verò consultatio. quam tamen impropriè dixeris consultationem.

12. *Nec tamen omnes scientiæ à consultatione excluduntur, quandoquidem sic & civilia excluderentur. At tamen magis circa artes. circa has namq; magis dubitamus. quod ut intelligatur Piccolominei Responsiones omnes quas habet gradu 2. 22. cap. restringo ad has hypotheses. I. Materia consultationis aut propria, aut communis. II. Incertitudo & inconstantia non solum sunt in ipsis rebus, sed etiam in mente quæ circa res est occupata. Sic quod corpus humanum variè sese habet ad curam, non solum est in morbo, sed etiam est in ipso medico. III. Ut ars alia est certa & definita, alia incerta & indefinita: sic artifices alij sunt periti, imperiti alii. Si ergò opponitur Aristot. hoc loci dicere consultationem es-*

An circa artes sit consultatio.

se de rebus agendis, ex quo excludent
artes, quippe quæ in effectione versantur
propriam intellige materiam, non comm
nem, quamvis nec hoc sit Aristoteli al
num actionis vocabulum, simul etia
pro effectione ponere, sicuti vocabulu
ποιεῖν sumitur sæpe pro agere, & hoc e
jam cap. Si quod artes habeant termin
certos, ex quo dubitare nemo possit? e
excipimus, quæ sunt definitæ. præter h
enim nullæ sunt certæ, quales sunt ars m
litaris & medica, idq; ob circumstanti
rerum varias. quamvis etiam in indef
nitis & incertis peritissimus quisq; dubit
re potest, imperitus autem dubitat in q
nero utroq;.

13. At verò cum consultatio sit
dubijs, necessum est, ut de quibus instit
tur consultatio sint multa, quod enim
num est, non facile sua natura redden
dubium, unde Concluditur. IV. De fi
ne nulla est consultatio, quamvis
omnis eadem sit propter finem.
Neq; enim orator, neq; politicus, neq; alius
quisquam de suo fine dubitat. Quisq; enim

artifex

artifex in sua arte finem habet ultimum, qui non est multiplex, sed unus. Et cum simul fallere facile nequeant quæ cadunt sub sensus Conclud. V. Quæ sunt singularia in consultationem non veniunt. *Nemo enim dubitabit an hæc res sit panis, vel factus vel subactus. ubi tamen notandum, in singularibus neminem scilicet consultare an sint, quomodo tamen melius possint comparari quivis potest sanus consultare.*

14. *Quod ut distinguatur hæc notabitur hypoth. Finis ultimus cujusq; rei discernendus erit à fine intermedio. Quod si jam opponitur: Hominem consultare quam vitæ conditionem sit initurus, consultatio hic est non de fine ultimo, sed medio, quippe quod homo consultat, quomodo per hoc, vel illud vitæ genus ad felicitatem & finem ultimum deveniatur. Piccol. gradu 2. cap. 22.*

15. *Itaq; ne consultatio vel aberret,* Symp. V. *vel etiam frustra instituatur, Conclud. V. In Consultatione maximè habenda*

erit ratio initij : medij : finis.

16. *In initio* rem *primum* perpendamus; *quam si graviorem & magis arduam invenimus*, 2. assumamus Consiliarios. *Neq; enim semper nobis ipsis credamus, quasi idonei satis simus ad dignoscendum*, εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. Et Euripides εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ, *unus vir non omnia videt. Et ne infinita fit Consultatio* 3. finis certus proponatur, qui sit instar Scopi. *II. In ipsa consultatione* 1. videndum quibus mediis, quot & quomodo finis ille possit haberi. *debent namq; eligi media honesta & faciliora : pauciora : Et non infinita. quamvis eo usq; sint inquirenda, donec ad ultimum devenerit, à quo initium facias operandi. Quod namq; est ultimum in resolutione, id primum fit in generatione.* τὸ ἔσχατον ἐν τῇ ἀναλύσει πρῶτον ἐν τῇ γενέσει. *Sic de domo cogitans resolutione indagabit* 1. *quomodo domus sit formanda* 2. *quem fit adhibiturus artificem* 3. *quibus & quot lapidibus & lignis habeat opus* 4. *quot pecuniis. In his ergò ubi resol-*

vendo

vendo sistit incipit primum generare. III. Post consultationem si opus fuerit ἀδύνατον, cum Demonstheni supra facultatem quid agere μανία sit, oportebit ἀφίστασθαι desistere. Sin verò non sit ultra vires, consultans debebit ἐγχειρεῖν negotium suscipere idq; mature, juxta Sallustium: antequam incipias consulto, & postquam consulueris, maturo facto opus est. quod si verò nec per nos solos videatur opus perfici posse, advocandi amici. quum enim hi sint in nostra potestate, quæ ab ijs proficiscuntur, à nobis proficiscentur.

17. Equidem cum dubitare quis posset an in re omni daretur consultatio, ubi datur investigatio Concluditur. V I. Non in omni re datur consultatio: etsi ubivis detur inquisitio. Quæ conclusio ex hac hypoth. manifestatur. quæ differunt ut Genus & species: quæ differunt objecto & fine, non sunt eadem. Ex quo cum omnis consultatio sit inquisitio, suscipiatur Symp. VI.

tantum de rebus agendis: habeat pro fine actionem: Inquisitio autem omnis non sit consultatio, instituatur de rebus quibus cumq; habeat pro fine scientiam & cognitionem, consultatio non erit inquisitio, nec ubicunq; erit inquisitio, simul etiam erit consultatio.

18. *Et ne habeatur eadem cum electione Conclud. VII.* Consultatio non est præelectio, sed inquisitio mediorum, quæ in agendo nos ad finem ducunt propositum. *Præelectio namq; est certa quodammodo, quia de rebus est quodammodo certis. est post consultationem: & est simul in mente & appetitu. Consultatio verò est de incertis: est ante electionem: & est solum in mente.*

19. *At hic quæritur. I.* An omnem electionem, actionemq; præcedat consultatio? *Affirmo. Contraria tollo hac hypoth. De qua materia loquitur Aristot. de ea etiam est intelligendus.* Oppona

modo

modo quis, quod dictum, consultationem non esse de necessitatiis & aternis? nec de his hoc loci est quæstio, sed de rebus agendis. ἔλεγχ& *ergò erit in subjecto.*

20. *Cum jam dictum sit nullam vel* Cap. IV. *præelectionem, vel consultationem sine voluntate esse, & de hac erit agendum. Cum verò eadem sit occupata principaliter circa finem, ùq; sit bonus vel naturâ, vel ex apparentia. Conclud. I.* Voluntas est occupata circa bonum tum revera bonum, tum apparentèr bonum.

21. *Equidem qui bonum voluntati subjiciunt tantum naturâ bonum, quod adscribitur Socraticis, quod à malo præeligitur malum non cadet sub voluntatem, aut ipsum malum dicent bonum. Qui contra eidem subjiciunt bonum apparens* φαινόμενον, *quod adscribitur Academicis, aut omnia bona statuent apparentia, aut idem quod diversis diversimodè apparet, habebunt cõtrarium. ex quo nullum voluntas habebit objectũ certum.*

22. *Veruntamen cum illud cadat*

sub voluntatem, cuiq; quod apparet bonum tamen versabitur circa id quod revera & suâ naturâ est bonum, ex parte Rei, & Ex parten ostri Riccobonus inhoc cap. improbus verò circa id quodcunq; inciderit bonum. Vt n., qui benè dispositi sunt corpore & animo, verè salubria expetũt: qui malè, ea quæ apparẽt, vel ad quæ voluptas trahit, res etiam sic sese habebit in ijs, circa quæ versatur animus. Idq; ex ea ratione, quod boni neq; jucundi neq; molesti spècie ducuntur, sunt namq; regula & mensura veri. ex quo singula rectè judicant, & in singulis perspiciunt verum, improbi verò jucundum eligunt tanquam bonum. dolorem verò fugiunt tanquam malum.

Cap. V. 23. *Jam verò cum poßimus finem non modo velle, sed etiam eligere media ad eum, imo actiones & virtutes in nostra sint potestate. Concluditur. II.* Ut boni vel mali simus in nostra est potestate. *Quæ namq; in nobis ita sunt, ut poßint agi, ea etiam à nobis non possunt agi. nisi enim hoc ita esset, tum legumlatores frustrâ debortarent à vitijs: tum*

etiam

etiam injustè bonis decernerentur præmia, pœnæ bonis, quod in ipsorum potestate & arbitrio nec mala, neq; bona sint.

24. *Non rectè ergo dicunt quicunq; dicunt:* Neminem sponte esse malum, *etiamsi rectè dicunt,* Neminem invitè esse beatum. μακάριος μὲν γὰρ οὐδεὶς ἄκων, ἡ δὲ μοχθηρία, ἑκούσιον. *Quod tamen ut stet hanc præmitto hypoth. Alia est pugna, quare etiam invitum aliud, quando Affectus cum ratione pugnant, & succumbunt contra naturam, cupiditate tracti Aliud invitum, quod vel vi, vel ex ignorantia circa singularia oritur. Quod si jam opponitur Platonem dicere neminem esse sponte malum? Si priorem juxta modum invitum hoc explicabitur, sententia vera est, non enim potest peccatum esse in voluntate, nisi sit defectio in ratione, sin minus falsa.*

25. *Sed tamen libera hæc voluntas cũ & in actione & in habitu sit, agens* nõ semper & eodem habiturus est modo, *sed qui sunt habitu præditi, non possunt aliter velle, quam habitus ille est,*

ut qui justus est, non nisi justa agere potest. qui injustus non nisi injusta. Ex quo etiam sese excusant alij, quod peccata sint invita, quandoquidem non possint nisi tali, vel tali modo agere. Quibus tamen ut respondeamus hanc præmittimus hypot. *Res non modo respicienda quo ad perfectionem & habitum, sed quo ad principium etiam*. Itaq; est jam quo ad habitū ebriosus & intemperans non possunt aliter agere; tamen cum principia fuerint voluntaria, quæ jam iverunt in consuetudinem; etiam ipsa vitia sunt voluntaria, non invita. Sicut qui ægrotat, in morbum liberè & sponte incidit, quia noluit vitare res noxias, cum tamen facile eas potuisset vitare: postea quam autem ægrotus factus est, necessariò male valet, seu non potest non male habere: Sic homo sponte fit malus, sed ubi talis effectus est, jam necessario est malus.

An peccata sint invita.

26. Verum enimverò hic objici poterat, per phantasiam homini obvenire id quod sit bonum & malum, hanc autem

non

non esse in nostra potestate, sed à naturâ, itaque nec bonum, nec malum in nostra esse potestate? quam sic solvit Aristot. Phantasia consideratur, vel quoad est facultas nuda, interna, qua rerum species externæ, per sensus oblatæ, animo objiciuntur: vel cum voluntate, vel bona vel mala conjunctim: Priori modo non est in nostra potestate, posteriori verò modo, uti à nobis pendet, sic etiam id quod appetitui offert.

27. *Jam cum habitus nõ sint in nostra potestate, & ex necessitate quodammodo agamus p habitum, quæritur an homo, qui habitũ peccati non modo acquisivit ipse, sed ex parẽte eundem cum ortu duxit, jam ex necessitate peccet? Quod equidem, qui malitiem suã sit necessitate tuiturus, probare velit tum ex eo quod dictum: tum ex eo quod homo ex necessitate jam est malus? Verum huic occurrit Ethica Mauritiana hac hypoth. Aliud est habitus vi-* lib. 2. c. 9.

tij, aliud actus. Quamvis ergo homo ex necessitate, non quidem absoluta, sed consequentiæ, nõ possit non esse malus, quo ad habitum: tamen actum illum adhuc potest impedire, etiamsi difficulter, & non nisi etiam S. S. cum gratia.

28. At perpulchra hic occurrit quæstio: An velle & nolle semper sint in nostra potestate. Hæc enim cum libertatem homines contineant, nisi semper adsint, neq; etiam liberum dabitur arbitrium, & ex eo peccans excusabitur, rectè faciens non merebitur honorem, quia uterq; agit vel casu, vel necessitate. Verùntamen posterius negant expressè jurisconsulti. tutor enim semper possessionem agnoscere potest pupilli, non tamen repudiare l. 1. tutor ff. de succes. Edict. unde Politica Joachimi Stephani D. c. 18. de judic. Athenienſib. pag. 407. Prius ipse videtur negare Aristot. quando dicit habitum non esse in nostra potestate. & commune illud proverbium Ex lib. 9. & 8. Ethicorum desumptum. Possumus equidem invitè aliquid alicui adimere

adimere, cum tamen non possumus invite aliquid dare.

19. *Quibus ut obveniam has praemitto hypoth.* I. *Voluntas alicujus potest esse, ubi tamen nulla sit potestas. Sic etiam possumus velle immortalitatem, quae tamen nunquam cadet in hominem, totum intellige hominem, non animam, juxta hanc enim est immortalis, & si non suâ natura, tamen ex gratiâ.* II. *Aliud est, voluntas, & electio, aliud executio voluntatis & actus. Jam ergo Jure Consultis respondemus ex prima hypoth. quod cum voluntas possit esse ejus quod suâ naturâ nunquam fieri potest, etiam poterit ejus esse, quod per leges est prohibitum. Id quod etiam dictum sit ad id quod est Aristot. Etsi enim jam inveterata consuetudo sit altera natura, tamen possumus habitum velle, cum idem etiam erat ratione actionum antecedentium in nostra potestate. Et cum simul possimus aliquid eligere, multo potius velle, cujus tamen*

men executio non sit in nobis, ad proverbium tertia respondet hypoth. Etsi namque nobis sit libera voluntas, non tamen semper voluntatis est executio.

Ethicotheologica.

I. Vt in humanis datur consultatio, sic non omnino eadem hæc abest à spiritualibus. Sed tamen modo contrario maxime. Illic enim talis instituitur, cujus finis à nobis potest produci: hic autem de illis, quorum quidem finis contingit nobis, sed minime p nos, sed p benignissimam Dei gratiam solã: illic finis dubius, hic ratione Dei, qui fallere nunquam potest, nec vult, certissimus & unus: illic consultationis tum voluntas, tum actus, principium, medium & finis in nobis est, hîc v. nec voluntas in nobis. nisi regeneratos vis: illic de mediis variis, dubiisq, hic de certis & definitis.

II. Itaq, voluntas non semper est in nobis, nisi vis mali. Cum tamen velle adjaceat regeneratis Rom. 7. dictum civile Arist. sano modo intellectum & hîc quodammodo locum habebit: Omnis improbitas Spontanea est; nemo tamen invitè erit beatus.

Disputatio octava
EX LIB. III. CAP. 6. 7. 8. & 9. de Fortitudine.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

ad XXII. Augusti

Respondente

STANISLAO AB OSTEN
Nobile Rugiano.

THESIS I.

SIC generaliter hactenus de virtute, cujus vis altius nunc ut introspiciatur, in specie resumentur singula, & primo loco FORTITVDO, quod hæc 1. viri ppria unde ἀνδρεία dicitur lib. 2. Tusc. & usum habet maximũ ad tuẽdam conservandamq; societatem civilem, & actiones ad eam 3. quod circa difficilima est occupata Arist. 4. quod sine hac cæteræ virtutes mancæ, viribusq; omnibus penè destitutæ, Patrit. lib. 7. de Regno & Re-

& Regis instit. tit. 1. 5. & quod etiam teste Scaligero, à veteribus vel summa virtus habita Exercitat. 300. sect. 3. vel sola Exercit. 266. Vnde Chrysost. reliquis est Excelsior omnibus, quippe quæ duo agit maxima in homine; debilitatem namq; ex animo expellit, & animi magnitudinem efficit. Paraldus de Fortitud. parte. 5.

2. Cum verò vocabulum τῆς ἀνδρείας varium sit, sumitur enim interdum 1. pro qualibet animi firmitate 2. pro igniculo ad fortitudinem 3. pro qualibet audacia in adeundis periculis, quomodo etiam in malis est, imò in pessimis juxta Socratem, discernenda erit fortitudo vera à Speciebus nothis, quod fiet, ubi subjectum seu objectum, & finis ejus patebunt. Concludo ergò I. Fortitudo versatur circa mortem pulcherrimam, qualis in bello, & quæ subitur propter patriam. Cic. Philip. 14. ô fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patriâ potissimum est reddita.

Cap. VI.

3. Equi-

3. *Equidem cum omnis virtus inter sua sit contraria, fortitudo etiam habebit sua contraria, quæ ostendent hæc duo,* ὁ φοβος καὶ τὸ θάῤῥος, *& circa quæ sunt eadem. Cum autem non metuamus nisi mala, unde* metus *definitur* mali expectatio, Fortitudo circa mala *erit.* διὸ καὶ τὴν φόβον ὁρίζονται προσδοκίαν κακῦ.

4. *Verum cum quædam oporteat nos mala metuere, nisi impudentes haberi velimus, ut est infamia: & quædam dentur mala minora, ut paupertas, morbus, ex quorum tolerantia nemo dici fortis possit,* mala *talia hîc erunt describenda,* quæ *tum* metuere oportet, *tum quæ sunt* summe, seu maximè terribilia, & formidulosa τὰ φοβερὰ.

5. *At verò cum & hæc varient, terribile enim non omnibus idem est, alia sint* ὑπερ ἄνθρωπον, *majora nempe, quam ut vel possint, vel debeant ab humana mente contemni, ut sunt prodigia, fulmina, terrarum concussiones, motusq; fluviorum exundationes, quas tamen pro nihi-*

lo habuisse dicuntur Celtæ; Alia κατ' ἄν θρωπον, quæ vir animosus sustineat. Circa posteriora fortis erit occupatus non metuendo, priora verò non metuet, nisi impius, & mente captus.

6. Ex quibus manifestum est, fortitudinem circa ea versari mala, quæ honestam mortem afferunt, sive hæc oppetatur pro salute patriæ, sive pro religione, sive pro honesta causa alia. Hîc namq; pulcherrimo fortes sunt in periculo, ex quibus etiam tam varij civitatum, & Regum exorti sunt sic periclitantibus honores. qualis fuit vitis in Bachi manibus: arcus triumphalis apud Ægyptios: columnæ inscriptæ apud Græcos: picturæ apud Carthaginenses: coronæ militares, statuæ, tropheum, triumphi, honoresq; divini, apud Romanos, de quibus Patrit. lib. 7. de Regno & Regis instit. tit. 1.

Non metuens infamiam non fortis.

7. Ex quibus colligitur non esse fortes dicendos, 1. Qui non metuit infamiam, hic enim potius impudens, quod non metuit, quæ honestum erat metuere, in hoc tamen simili fortis, quod est si-

est sine metu. 2. Qui nec paupertatem, aut morbos. *hæc namq; mala sunt maximè terribilia.* 3. Qui in mari naufragio pereunt, vel morbo *in lecto. Non enim hìc mors est aliqua, quæ ob honestatem obeatur, sed vel ex casu, vel ex moriendi est necessitate. Cum etiam maritimi de sua salute desperent, imo mortem ægerrimè ferant, quæ utiq; vitia in fortem minimè cadunt. Fortitudo cum in his debet esse, qui mortem voluntariam subeunt, quod is, qui omninò invitus patitur, non habet laudem Paraldus. part 6. c. 1. de Fortit.*

8, *Hic tamen oritur dubitatio, si namq; vir fortis in mari pereat mors ne hæc dicenda fortis? Quam sic solvit Arist.* In mari periens.

Aliud est magno, præsentique animo aliquid sustinere: Aliud fortiter mori. Non continuo enim qui animose aliquid sustinet, vel etjam moritur, ut fortis moritur, non magis ac is qui semel justum facit, justus est. Quod si jam opponatur virum fortem sem-

per esse fortem, proinde etiam in mari si moriatur? Neganda erit consequentia. Etsi enim animum fortem semper habet vir fortis, fortitudinem tamen non semper exerit. Sustinebit itaq; mala constanti, & infracto animo, quod sibi ex fato moriendum jam videt, non tamen continuò mors hæc erit fortis, quod tolerantia hæc suo caret objecto, forma & fine, morte scilicet pulcherrima, & ob honestatem suscepta. Fortiter fortes se gerunt, quibus in rebus vires cernuntur, aut pulchrum est mori. Arist. hoc loci.

Symp. II. 9. *Cum ergò nec ab omni metu vacuus sit fortis, Conclud. II.* Vir fortis est ἀνέκπληκτος ὡς ἄνθρωπος, terrore vacat, ut homo. *hoc est, periculi quidē metuit, præter ea quæ sunt ὑπὲρ ἄνθρωπον, sed tamen ut oportet, & ut ratio dictitat, honesta subit, idq; honestatis gratia, hæc enim cum virtutum finis sit, licebit etiam alia magis, alia minus metuere. Non prorsus dicitur timore carere fortis vir sed eo tantum, quo vincatur, & ab honesto, seu ab officio ducatur. Eth. Marit. lib.*

rit. lib. 2. cap. 15. de fort. *Timet ergò in principio, confidit in fine, seu timet, & confidit quæ oportet, quando oportet, unde oportet. Vnde* nec quævis etiam subibit pericula, *sed ea tantum, quæ sunt magis honesta, quæ sunt laudabilia, & communem concernunt salutem.*

10. *Dubitare hic quis poterat:* An mors sit rerũ maximè formidabile quid? *Quod sic distinguo. Mors refertur vel ad virum fortem, ut ab hoc sustinenda est, & extrinsecus objicitur: Vel ad mala alia, ut cum hisce comparanda, & ut ipsa à nobis sunt. Si ergo opponitur turpitudinem, & scelera quævis esse formidulosa maximè, quod magis cum de decore, non ergo mortem? Si comparatio instituatur inter mala, illa maximè erunt formidulosa, cum mors sit malum pœnæ, reliqua malum culpæ. non tamen quatenus in relatione sunt ad virum fortem. Siquidem turpitudo non est res circa quam fortis, & est ex homine ipso, mors verò propriè viro forti toleranda*

Mors An maximè formidulosũ quid.

offertur, & est quasi extra eum.

11. Medium itaq; tenebit fortis inter τὸν φόβον & τὸ θαῤῥεῖν. Vitium ergò in excessu est θρασύτης, audacia, cujus gradus, superior est ἀφοβία metus vacuitas, qualiter, præter celtas, à Curtio notantur Germani antiquiores lib. 2. Cum enim Alexander ex his quæsisset, quid formidulosum haberent, responsum, ait, nil aliud se metuere, quam illud, ne cœlum corruat, qui hoc vitio laborat, cum proprio careat nomine, dicitur μαινόμενος, ἀνάλγητος, insanus atq; indolens. Et δειλία timor, quando exuperamus in metuendo, deficimus in fidendo, aut exuperamus in non fidendo.

Audax nõ est fortis.

12. At verò si audax cum forti comparabitur, etiamsi aliquo modo conveniant, tamen maximè distant, quod hac hypoth. probabit. Fortis 1. quicquid agit cum recta ratione agit 2. est constans in periculis 3. ante periculum est quietus, non minax, aut contumelioſus adversus hostem, in

ipso

ipso vero certamine & conflictu strenuus & acris. Quamvis ergo θρασύς fortitudinem affectet, tamen 1. quæcunq; agit sine ratione agit 2. est in constans in periculis 3. & ut loquitur Tacitus lib. 1. histo. ante discrimen ferox, in periculo pavidus, ex quo nec verè fortis; sed audax & timidus, unde dicitur θρασύδειλος. audax timidus.

An quis simul audax & timidus.

13. Quærat autem quispiam an quis possit esse simul audax & timidus? Nego, quod contraria non possunt uno & eodem tempore, hoc est, simul in uno & eodem esse subjecto. Affirmant alij. Potest aliquis esse audax & ignavus simul, potest fieri, ut aliquis nihil timeat, simul & nihil audeat. Talis est, qui quantumvis multa jactat, tamen nunquam res formidulosas subit. Ethica Mauritiana lib. 2. cap. 15. Sic ergò distinguo. Potest quis ore profiteri plura, quæ tamen longè sentiat aliter animo. Etsi enim ore negatur veritas, tamen eandem mens profiteri cogitur Arist. lib.

1. *post. anal. cont.* 77. *Potest item quis plura jactare lingua, quæ tamen longè absint à corde. Etsi igitur quis modo jactet Herculea, tamen formidulosissimus potest esse animo. Et sic quod eodem est tempore, est tamen subjecto diversum.*

Definitio. 14. *Ex quibus Concluditur.* III. Fortitudo est mediocritas circa ea, quæ fiduciam pariunt, & & terrorem maximè, idq; honestatis & publici boni causa. *Fortis enim nec rebus adversis frangitur, nec prosperis nimium æstuat.*

An fortis qui se ipsum interficit. 15. *Cum jam, qui omnia metuit, sit timidus, maxime qui desperaturus sit, minimè, erit timidus. Atq; adeò minimè erit fortis, qui ob paupertatem, amorem, vel aliquod molestum aliud sese interficit, quales ex pluribus Cato de quo Gellius lib. 13. cap. 18. & Valer. Maximus lib. 3. cap. 2. Rhazis lib. 2. Maccab. cap. 14. Lucretia, & is qui sese luminibus privasset, ne*

set, ne malis civibus videret bene esse Patrit. lib. 7. de Regno & Regis instit. tit. 3. Quod sic planum facio. I. Qui desperant propter adversa, qualis Rhazis, & Lucretia; Qui desperant ob vitæ tædium, quod delicati vitæ incommoda ferre nequeunt, qualis Cato, vel quod aliis invident, quæ bona contingunt, de quali Laberius, ignavi potius sunt, quam fortes. mollities enim est fugere laboriosa. Patritius Citat. loco. II. Depositum non ante reddendum est, quam ipsa natura reposcet, & mala quævis sustinenda potius, quam, ut quis sui corporis fiat homicida. Quod si jam opponitur fortiter sese hosce gerere? prima negat. Si quod melius sibi mortem consciscere, quam ferre, quod grave & acerbum? Secunda contradicit. Cum enim periculum hic non sit honestum, non laudabile, non enim est propter salutem communem, summum etiam nec metuamus diem nec optemus, juxta Martia-

lem. *Ex quo laudantur Lacedæmonij, qui utrumq; per virtutem dimetiendum putabant. Omnino ergò fortes viri non sunt habendi ij, qui vitæ contemptu in manifestam ruunt mortem, more ferarum. Patrit. lib. 7. de Regno & Regn instit. tit. 13. Pitcol. grad. 6. cap. 21.*

Cap. VIII. 16. *Verum quod in rebus evenit naturalibus, ut aliæ sint revera, quales videntur, aliæ verò appareant, quales tamen non sint Aristot. lib. 1. Sophist. c. 1. idem etiam tum in bono lib. 1. Ethic. Eud. c. 2. & virtute evenit, ũde Concl. IV.*

Symp. IV. **Non omne, quod apparet fortiter factum, continuò fortitudo est.**

17. *Excludentur ergò species quinq; quarum prima est* ἀνδρεία πολιτῶν, *eaq;*

1. Ἀνδρεία *duplex. Prima quando cives pericula* πολιτῶν *subeunt, impulsi legibus, vel metu infamiæ, vel spe honoris, unde apud quos timidi sunt sine honore, fortes verò honorabiles, hic videntur esse fortissimi. Talis fortitu-*

titudine Homerus describit Diomedem & Hectorem. Iliad. X. Sic enim Hector.

Nam me Polydamas āte omnes ipse reprendet,
Inter enim, dicet, Trojanos optimus Hector.
Tytides metuens puppes confugit ad altas.

Secundo quando pericula subeuntur vel ob consequenda præmia, vel ob vitandas pœnas, quali fortitudine militasse sub Hectoris exercitu plures ipse testis est, quando Sic Iliad. O.

Quem procul à pugna trepidantem forte videbo,
Is canibus fiet, fiet quoq; vulturis esca

Gradus itaq; prior fortitudini magis est similis, quod hîc dum pericula subeuntur, & propter virtutem quidem, quandoquidem propter fugam turpis subeuntur & probi, propter pudorem, & honesti quodammodo appetitum, honorem scilicet.

Vera

Vera tamen fortitudo non est, quod sic demonstratur. Fortitudo vera 1. est, voluntaria 2. ob honestatem suscipitur 3. & salutem patriæ propugnat. Quando jam hæc est coacta potius: ob honorem & infamiam suscipitur; in privatum vergit commodum fortitudinis tantũ erit simulacrũ. Posterior tamen pejor est; quod non sustinetur ob honestatem, sed vel ob fugiendam pœnam, vel ob consequendam utilitatem. In priori pudor est, hic metus, illic fuga turpis, hic molesti.

Fortitudo non laudem, sed laus virtutem.

18. *Quærat hic quispiam An non vir fortis sequatur laudem? Cui respondemus ex Patritio. lib. 7. cap. 1. de Regno & Regis instit. Vir fortis non tam laudem sequitur, aut præmia, quam fortiter, ac recte facta. Sed tamen maximas habet conjunctas. Nulla enim majorem laudem, & plura munera accipit, quam hic. Omnium enim animos, atq; oculos in se convertit, cum justitia, quæ inter virtutes, qualis Hesperus inter nocturnos ignes lib. 1. Ethic. Eudem. cap. 1. potius odium atq; invidiam in se contrahat. Quam*

vi

vis tamen nihil opus fortitudine esset futurum, si modo omnes justi essemus, quod dixit olim Agesilaus referente Plutarcho in scite dict. Regum & Imper. & in apoph. laconicis.

19. Huc referri possunt 1. qui pro libertate patria, & pro Regis salute pugnant. Virg. Vrget præsentia Turni 2. qui turpitudinem effugientes gloriam affectant. Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem, Illaq; virgo viri. 3. Et qui gloria famæq; cupidi mortem contemnunt de quibus Patrit. lib. 7. de Regno & Regis instit. c. 3.

20. Altera fortitudinis species est διὰ τὴν ἐμπειρίαν ex experientia eorum qui antea aliquoties ex hujusmodi periculis salvi evaserunt, quæ lib. 3. Eud. cap. 2. dicitur στρατιωτική. Hinc Homerus dicebat fortitudinem addsci posse. Ilia. ϛ Et Socrates, & cum hoc Crysippus eandem scientiam definiebant. Cum enim communia sint & vana bellorum multa, hæc qui sciunt dicuntur fortes. qui nesciunt, minimè. Hi quanquam pugnant

II. Ἀνδρείαν διὰ τὴν ἐμπειρίαν.

san-

tanquam armati, tanquam athleta cum imperitis, sunt robustißimi, & corpora habentes pugnacißimi, tamen facere possunt & non perpeti. Etsi namq; pericula intrepide adeant, magnitudine tamen horum victi terga vertunt. Ex quo nec erunt fortes, & simul pejores prioribus, quippe, qui, ne ne fugiant, turpitudinem effugiant, ad mortem usq; durant. Itaq; in eos optimè quadrat, quod Plato ait: Canis oculos habes, cor autem cervi. Et illud. Instar Thetidum gladium quidem habent, cor verò nullum.

Fortitudo sine experientia non est.

21. *Neq; tamen fortitudo planè est sine experientia. Sunt enim fortes bello, consiliis validi.. Et ut secernenda ab hac temeritas, sic conjungenda cum mente. Hinc Homerus laudem Vlyßis à prudentia inchoat.*

Dic mihi musa virum captæ post tempore Trojæ,
Qui mores hominum multorũ novit, & urbes.

Et Achivi Æneam mente dicebant, quod

quod prudens esset in fortitudine, Hectorem manum, qud robustus.

22. *Huc pertinent qui corpore sunt robustissimi. qualis Tritamnius samius, qui, ut testis est Varro dextera inermi militem armatum fortitèr superavit, & vi in castra duxit. Milo qui taurum stantem non solum loco movere, sed quo vellet gestare poterat. Tithomus subulcus, qui taurum furentem medio in cursu violentèr retinebat. Aristomenes, qui trecentos hostes, si Plinio fides habenda, bello contra Lacedæmones, & maxima ex parte provocatos superavit. lib. 10. cap. 37. Quamvis hic si virtutem habuit verè fortis. Fortitudo enim non nisi est in bonis hoc cap.* Corpore robusti.

23. *III. Adumbratarum fortitudinum est* διὰ τὴν ὀργὴν. *quam ira Excitavit, quæ si fortitndo esset, asini etiam fortes essẽt, quippe quæ ferino impetu agit, quod agit, & ex impulsu doloris metusq́. Cum namq́ dispersa sint in brutis secundum naturam, quæ congregata sunt in homine secundum rationem, Paral. de fortit.* III. Ἀνδρεία διὰ τὴν ὀργὴν

fortit. part. 5. de securit. Venerant tamen non nisi cum percussa sunt, vel quia timent. In Sylva namq; non irruunt. quod altius hac ostenditur hypoth. Virtus & fortitudo. 1. ex electione agunt. 2. non sunt in brutis aut stultis, sed in bonis. 3. sunt ex recta ratione. 4. propter honestatem suscipiuntur. Cum jam iracunda fortitudo agat ex impetu: Sit in brutis & stultis: Sit ex affectu: Suscipiatur propter vindictam, nec fortitudinis nomen merebitur, nec virtutis.

Ira cos fortitudinis.

24. *Etiamsi verò ira non sit fortitudo, tamen maximum incitamentum est ad pericula, imò Cos fortitudinis, quae conjuncta cum ratione in veram facile degenerat fortitudinem quamvis id acriter impugnet Patritius lib. 7. de Regno & Regis instit. cap. 5. Quod sic distinguo. Ira est aut in excessu, sibique modo lucrum quaerit, & gloriam.*

Cum Plut. I. de cohibenda ira.

Virtus dicta quodammodo veteratoria:

Aut

Aut in mediocritate, & solo honestatis studio ducitur, de qua Peripatetici dicunt: Fortitudo sine ira lentitudo est. Item ira succenso militi asperum videtur. II. *Fortitudo alia in aggrediendo est occupata, ut Fortitudo Horatiorum: Alia insustinendo, ut Martyrum. Seu Alia in patiendo, alia in repugnando. Si ergò objicitur, iram furoremq; mentem præcipitare? non ex virtutis studio, sed ex perturbatione ira perculsos agere? omnes insanire cum irati sint: Siquidem juxta Catonem ap. Stobæum mora temporis à furioso tantum differāt? prior pro responsione est hypoth. Siquidem immodica ut à prudente quovis damnatur, sic modica, & quæ cum consilio est, in virtuoso etiam requiritur. decet enim inquit Aristot. irasci quibusdam rebus lib. 3. Eth. cap. 1. Nec tamen in omni requiretur fortitudine, sed in ea tantum, quæ in aggrediendo est occupata, ut disting. hypoth. 2. Quod ergò Plato de affectu quolibet, idem*

Maurit. Ethica.

Paraldus.

nos de ira dicemus: ira utendum est ut sa-
cellite & milite, non autem ut Duce. Et
hinc etiam est, quod Homerus Achillem
inducit, non modo membrorum robore
præstantem, luctatione & pedum celeritate reliquos prævertentem, sed acrem, iracundum, inexorabilem.

¶ V. διὰ τὴν ἐλπίδα.

25. IV. διὰ τὴν ἐλπίδα. eorum, qui propter spem, vel evasionis, vel victoriæ, periculum subeunt. Verum hos longè à fortibus esse alienos sic demonstratur. Vir fortis. 1. recta ratione nititur. 2. pericula tum prævisa tum repentina subit. 3. ad mortem usque constantiam servat. 4. honestatis tantum causa pugnat. Cum jam, qui propter spem fortis est, externis nitatur præsidiis: prævisa tantum subeat pericula, fugiat repentina: Spe cadens animum spondeat fugiatq; & sibi spem vel lucri, vel evasionis proponat, fortis non erit. Differunt autem hi ab illis, quod possunt vincere sine etiam experientia, cum illi audeant ob experientiam,

entiam, hi ob victoriam sæpè partam.

26. Ultima est διὰ τὴν ἄγνοιαν, per ignorantiam, qua tyrones, & novitii plerumq; sunt præditi. qui, periculi magnitudinem ignorantes, bellum dulce putant: Dulce bellum inexpertis. Hi cum longissimè à fortitudine recedant, longè etiam deteriores sunt iis, qui ob spem fortes se præbent. Nullum enim vel profligandi, vel subeundi periculum habent animum, nec ullam in animo voluntatem. ἀξίωμα οὐδὲν ἔχουσι. V. Ανδρεία διὰ τὴν ἄγνοιαν.

17. Quæritur hic. 1. cum supra dictum sit fortem in repentinis maximè probari periculis hoc quomodo intelligendum? Quod sic explico. Quædam eligimus cogitatione & discursu, quæ tempore egent, & mora: Quædam v. non cognitione, sed habitu. Quod si ergo opponitur omnem virtutem ex electione esse, in repentinis autem nullam esse electionem, itaq; nec virtutem, ex quo fortitudo in repentinis nulla sit? Negabimus quod medio loco assumptum est. Et

si enim hîc non videatur electio ratione temporis, tamen habitus ratione ineſt, qui non poteſt eſſe niſi cum electione. Ante enim præviſa cogitatione eligimus, repentina verò habitu Ariſt.

28. *Quæritur II. Cur nec plures nec pauciores dentur fortitudinis ſpecies?* I. An ſpecies plures. *Id ex iis evenit, in quibus virtus aberrat. Cum enim conſiſtat in cognitione: præelectione: & cauſa: Si in cognitione erretur; oritur ultima ſpecies* δι' ἄγνοιαν. *Si in præelectione, per iram; oritur ſpecies ſecunda. Per ſpem, oritur ſpecies tertia. Si in cauſa finali, ob honores, oritur civilis: in efficiente, ob experientiam, militaris.*

Cap. IX. 29. *Verum enim verò cum virtus hæc noſtra verſetur circa* τὰ θαῤῥαλέα, *ea quæ fiduciam pariunt, &* τὰ φοβερὰ, *quæ terribilia, quæritur III. an eodem modo, & pariter circa utrumq;? Negatur. Circa quod ergò maximè? Circa* τὰ φοβερὰ, *Quod hac demonſtratur hypoth. Virtus verſatur. 1. Circa ea quæ maximè hominum animos ſolent perturba-*

III. An magis circa, τὰ φοβερὰ quã circa τὰ θαῤῥαλέα.

turbare. 2. & quæ maximè sunt molesta & difficilia. Cum verò τὰ θαῤῥαλέα non ita animum turbent: non sint ita difficilia χαλεπώτερον γὰρ τὰ λυπηρὰ ὑποφέρειν, ἢ τῶν ἡδέων ἀπέχεσθαι, difficilius enim est molesta sustinere, quam à jucundis abstinere, magis circa illa versabitur vir fortis, quam circa hæc. 30. At verò cum circa maximè molesta versetur fortitudo IV. quæritur quid de sceleratis sit sentiendum, qui fortiter tormenta sustinent? non esse hos fortes habendos id hac ratione patet. Fortis sponte sustinet 2. cum ratione & mediocritate, quandoquidem simul condolet 3. sustinet honestatis gratia 4. idq; ob salutē patriæ. Talis v. cum coactus patiatur & doleat: ira feroci sustineat: patiatur ex necessitate, & ut justitiæ satis fiat, fortis non erit. Itaq; cum narraretur Agesilao, virum quendam sceleratum constanter sustinuisse tormenta, & maximè fortiter, ut insignitèr miser est homo, inquit, qui tolerantiam

IV. sceleratus an fortes.

ac patientiam in res flagitiosas, ac turpes maximè collocat. Erasmus in Apoph. lib. 1. pag. 3.

V. An fortitudo in formidulosis.

31. Sed ad jam dicemus V. fortitudinem esse, imò maximè elucere in rebus formidabilibus, & summè molestis. Cum tamen objici poterat virtutem cum voluptate semper esse conjunctam? Quod ut vindicetur hanc pono hypoth. *Res quæ amara maximè est in principio, & medio, suavissima sæpè est in fine, ut, quod princio suave, in fine plerumq; est amarum*. pugilibus enim verberari dolorem affert, siquidem cum passionibus sint obnoxii, quod carnei, molestum etiam hoc est, ut omnis labor, finis autem, quando coronam accipiunt & honorem, maximè jucundus. Etiamsi itaq; ante virtus sit laboriosa, ex hoc enim dicitur versari circa ardua, tamen in fine labor hic dulcedine gloriarum consopitur. Seu quod idem est, ratione acquisitionis virtus semper est cũ dolore, ratione finis jucunda õnibus. Radix quidem amara fru-

ra, fructus verò dulcis. Itaq; animus quisq; probus omni eam præfert malo. Mantuanus primo trophæo Gonzagæ:

Certè ego, quicquid agant alij, præponere mortem
Dedecori instituo, potior mihi sanguine semper
Gloria: vel spirare animam, vel vincere certū est.
Inclyta mors vita est, ingloria vita sepulchrum.

Arist. Mors quidem & vulnera molesta erunt forti, ipse tamen sustinebit ipsa, quod honestum est sustinere, & quod turpe non sustinere. Non itaq; virtutibus omnibus inest, ut possidentes jucundi agant, nisi quatenus finem attingunt.

32. Verum cum hic dicatur, mortem & vulnera molesta esse forti: Quæritur VI. an etiam virum fortem dolor deceat? Affirmat *Arist.* quandoquidem si non temerè optanda mors, tuenda si potest vita, maxime etiam erit dolenda, ejusmodi vita, quæ cum fuerit omni virtute prædita, jam felicitate sua sit privanda, & è civili consortio exterminanda. ex quo etiam Græci legumlatores militibus summam decrevere pœnam, iis qui scutū in prælio abjecissent, quo se, suamq; vitam tueri debebant, nec quicquam imposito iis, qui gladium vel hastam,

VI. An fortè deceat dolor.

stam, præclarius ducentes Reipublicæ se conservare, quam hostem lædere. Vnde quoq; Lusitani Viriatum ex pastore, ac venatore ignobili Ducem constituerunt, quod cavendi peritia plurimum præstitisset Patrit. lib. 7. de Regno & Regis instit. tit. 7.

Negant Stoici. quorum argumẽtis ut obveniamus, has pono hypoth. I. Vir fortis & virtuosus non suã magis vitam, aut commodum, quam honestatẽ, quã publicam salutẽ ut propagabit, sic etiam adversa ejusdem dolebit. II. Non omnes affectus sunt turbulenti, sed ij qui sunt contra honestatem. Si ergò opponitur virum fortem non debere trahi affectibus? Negabitur ex hypoth. secunda, donec demonstretur hunc dolorem affectum esse impurum, & honesto contrarium. Quod cum non sit, sed potius sit naturalis, naturam omnis interitum abhorret, sed potius honestius, si maximè doleat non suũ, sed Reip. malum, quæ viro bono privetur, cujus ope bona multa adhuc sperare potuisset illa. Et

la. Et hoc esse videtur, quod Arist. dicit. Quo magis fuerit omni virtute præditus & felicior, eò magis ob mortem dolebit, quod talis maximè dignus sit, qui vivat, & maximis bonis privetur sciens.

33. *Post hæc concluditur ultimo:* Milites mercenarij fortes ne quaquā sunt habendi. *Quod hac manifestum fit hypoth. Omnis fortis 1. cum prudentia agit. 2. ob honestatem dimicat. 3. nullo modo vitam temerariè prostituit 4. nihil agit sine ratione 5. & tantum commune respicit emolumentum. Cum verò milites mercenarii ex temeritate pericula subeant: ob vile aliquod præmium dimicent, temere vitam prostituant: Per audaciam inanem magis pugnent, quam per rationem: & tantum rapinam respiciant, fortis nomen minimè merebuntur.*

Symp. ultimum

An milites mercenarij fortes.

34. *Ne autem hic accusari Aristotelem patiamur, quasi ex hisce convinci possit, qui animæ immortalitatem negarit cum Protagora & Epicuro, qui cum negarint*

An Arist. animæ immortalitatem N.

rint Deum, animam etiam nil præter nudos sensus dicebant, Plutarchus lib. 4. de placitis philosophor. c. 7. hæc præmittimus.

I. Per mortem Arist. hoc loci non intelligit formidulosum, quod totum hominem destruat, sed quod extrinsecus homini potest accidere.

II. Quod de parte aliqua dicitur, non continuo de toto dicendũ. Sic enim cum de oculo dicitur quod videre possit, etiam caput totum videret.

III. Quæ de accidentibus dicuntur in substantijs, non sunt referenda ad substantias. Jam si primo loco opponitur, mortem dici formidulosissimam? ἔλεγχος causæ committetur, ubi propterea mortalis anima concluditur. non enim sic dicitur, quod animam interimat, sed quod nihil sit magis molestum, quod homini possit extra objici. Si quod cap. 2. voluntas dicta sit eorum quæ non sunt, ut Immortalitatis? ἔλεγχος erit in subjecto. Siquidem non animam sed

corpus

corpus, non animæ mortem, sed separationem à corpore intelligit. Si denique quis pro firmissimo telo accipiat, quod lib. 1. physico. cap. 9. ipse dicit Arist. Se dicturum de physicis formis, quæ oriantur & intereant, cum tamen priori loco agat de forma hominis? quæ potentiis sunt communia animæ, quatenus est conjuncta cum corpore, ad ipsam substantiam non erunt coarctanda.

35. Sed ne extra limites: Quæritur ultimo an post mortem vir fortis maneat fortis? Ubi sic distinguo. Secernenda est memoria ab essentia & existentia. Quod ergò Arist. dicit, virum fortem à morte non manere fortem, quia corpori nihil objici possit formidulosum? De essentia & existentia intelligendum est, non de memoria. An vir fortis post mortē fortis.

Ethicotheologica.

Si quæ in Ethnicos cadit fortitudo, maximè hæc perficietur in Christianis, tū in Apostolis, tum in martyribus cæteris, præsertim cum hæc formata fuerit fide appre-

apprehendente Christi ꝑmeritũ, & finẽ directo divini nominis in gloriã & præconiũ. In fæmella S. Hagne habes, quanquam in imbecillioribus S.S. sit fortis maximè, qua viri alias naturâ fortiores constantia mortem sustinuerint. Hæc enim, cum à carnifice ludificata quæreretur, cur ruberet vultu, an ebria esset? respondit alacritèr

Quin mihi purpureæ facies ita sanguine Christi,
Oraq; divino tincta cruore rubent.

Itaq; si illi suos extremis condecorarunt honoribus, quidni & nos digna nostros ꝑsequamur memoria? ni modo, ut illi. Deo adscribamus tum principium, tum finem ejus, quod illi in suis quæsiverunt, in suis etiam terminarunt. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem a. Cristianorum Dei facit Charitas August. c. 295. de innocentia. Et ita honoremus ne in Deos cooptemus? Honorandi enim sunt propter imitationem, non adorandi propter Religionem Aug. de vera Relig. c. 55. Honoremus eos charitate, non servitute. ibidem.

Disputatio nona

EX LIB. III. CAP. 10. 11. & 12. de Temperantia ejusq; Speciebus & Extremis.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

ad XXIX. Augusti

Respondente

CASPARO BUGGENHAGEN
Sundensi Pom.

THESIS I.

ETsi ordinem dignitatis secutum Aristot. in explicandis virtutibus fortitudo declaravit: tamen naturæ ordinem non neglectum, ipsi sensitivi affectus, qui sunt ira & concupiscentia, universales magis, ab universali autem, & communissimo, quod idem notius, incipiendum erat, satis demonstrant Acciajolus in hoc cap. Quam rationem meritò & nobis observantib. TEMPERANTIA secundum locum occupabit. 2. Est

2. *Est autem temperantia, Gracis* σωφροσύνη, *quod vel* τὴν φρόνησιν σώζει, *judicium in rebus agendis rectum conservat vel* τὸ σῶμα φρονεῖ *corpus in vigore promovet & alit. Seneca lib. 2. Epist. 14. ad Lucilium, vocabulum satis ambiguum. Significat enim 1. obedientiam erga omnes leges, qua sensu eadem est cum justitia universa 2. virtutem, quæ animi impetus inordinatos temperat cohibetq́, quomodo sumitur à Cic. 3. moderationem sensuum corporis omnium Paraldus tomo. 1. tracta. 3. de temper. cap. 2. 4. moderationem appetituum, tum animi tum corporis: 5. moderationem voluptatum, quæ circa gustum & tactum Aristot. hoc loci. Qua ultima significatione hic definitur. Cujus ut demonstretur ratio Con-*

Cap. X. Sym. I. *cluditur. I.* Temperantia principaliter circa voluptates versatur, περὶ τὰς ἡδονὰς, minus principaliter circa dolores, περὶ τὰς λύπας: *quod idem etiam ex consequente de intemperantia, quamvis diverso modo, Acciajolus hoc. cap.*

3. Etc-

3. *Etenim cum à voluptatibus abstinere, sit difficile, dolores summos sustinere sit hominis fortis, reliqui facilius perferantur, virtus autem versetur circa ardua, temperantia non nisi secundariò versabitur circa dolores, & ex consequente.*

4. *Verum enimverò cum circa eas tantum voluptates versetur temperantia, juxta quas homo temperans aut intemperans dicitur, non verò juxta omnes vel quosvis sic dici posimus, nisi impropriè*

Concluditur II. Non circa omnes voluptates, sed circa eas, quæ sunt corporis, quæ cum commotione & commutatione corporis fiunt, Aciajolus., versatur temperantia, sed eas tantum, quæ sunt gustus, & tactus. & nec circa has omnes, sed quæ sunt impuræ. Symp. II.

5. *Excluduntur ergò* 1. *voluptas animi, quæ sine commotione & mutatione corporis fieri videntur, ut sunt studium honoris,*

honoris, studium disciplinæ, φιλοτιμία καὶ φιλομάθεια. *Neq; enim circa hæc versantes vel temperantes, vel intemperantes dicuntur, sicuti nec illi, qui sunt studiosi fabularum, & narrationum, quin nec ij, qui doluerint amissionem pecuniarũ, aut fortunam adversam amicorum. quamvis in lætitia & gaudio, quæ sunt animi voluptates, Cyreneaci summum posuerint bonum. Patrit. de temperant. lib. 6. tit. 18. de Regno & Regis instit.*

6. *Sed hîc oritur dubitatio: An fabularum narratio potius sit sensuum quã animi? ubi sic distinguo cum Acciajolo. In fabulis respiciendæ tam res, quarum dulcedine animus, suspenditur, tum voces & sonus, quorum blandimentis aures aperiuntur, & auditus trahitur.* Opponenti ergò *fabulas auditu percipi, itaq; etiam voluptatem excitari in sensibus? non repugnabo quo ad sonum, cum tamen res pertineant ad animum.*

7. *II. Excipiuntur quæ sunt ex auditu,*

ditu, visu, olfactu, ubi tamen exoritur dubitatio. Cum enim lupus balantem ovem audiens: Leo videns bovem: Canis odorans leporem, maximè illorum voluptate trahantur & circa hæc temperantia versabitur? Quod sic distinguit Aristot. *Aliud est per se alicujus voluptate trahi: aliud per accidens. Etsi ergò hæc animalia vel visu, vel odoratu, vel auditu, sicuti etiam homo hisce sensibus afficitur, ovis, bovis, leporis trahantur, tamen non ita trahuntur, ut videant, audiant, odorentur, sed ut fruantur eorum esu. Seu non principaliter, sed ex accidente. Neq; enim odoribus leporum canes gaudent, sed esu, neq; leo voce bovis, sed pastu, similiter neq; cum viderit, aut invenerit bovem, cervum aut capram, sed quod cibum sit capturus.*

8. *III. Relinquuntur ergo voluptates, gustus & tactus. quod hac patebit hypoth.. Virtus versatur in eo maximè, ut appetitum sic moderetur in homine, ne ille ab homine defi-*

ciat, bestia, vel etiam huic similis evadat. Jam vero cum voluptates horum sensuum in homine sint, non ut homo est, vel rationalis, sed ut animal est sensu præditum, unde dicuntur, ἀνδραποδώδεις & θηριώδεις, serviles & ferinæ, ne ex hisce plane in brutum degeneret, temperantiæ maximè est providere. ex quo etiam priacipalitèr circa gustum, tactumq; occupata erit. Quod hinc etiam manifestatur dilucidius: quod juxta horum moderatum usum dicimur vel temperantes, vel intemperantes. Sunt enim hi principales, & respiciunt esse: reliqui verò ordinati ad illos, & respiciunt benè esse. illi operantur juxta propinquitatem objecti, hi secundum distantiam, ex quo illi reliquorum ministerio non egere videntur, hi autem fungi officio suo absq; mediis non possunt, imò nec sine illis.

9. Sed tamen cum gustus propter tactum sit, est enim tactus sensus communissimus, unde Philoxenus Eryxidis, qui cũ Gnathone Siculo narium sortes emungere

gere in patinas soliti fuere, ut aliis abedendo deterritis, ipsi soli implerentur, Plutarchus in lib. de occultè vivendo, guttur sibi longius gruis obtabat; & hic videtur maximè proprius Temperantiæ.

10. Nec tamen circa hunc omnem. sunt enim primò voluptates ex iis quædam liberales, ut quæ ex tactu per fricationem sanitatis gratia sunt. (quamvis & in his mediocritatem suadebunt Medici) & post tactus circa res alias, quæ ad Temperantiam propriè non pertinent. Sed tantum quæ circa gulam, pudendaq;. non enim ad totum corpus pertinet, sed ad aliquas partes.

11. Definitur verò temperantia à variis variè. A Cic. admonitio rationis in rebus expetendis & fugiendis. Victrix rerum inhonestarum. Firma ac moderata dominatio rationis in libidines. A Plutarcho, Contractio quædam cupiditatum, & ordo perimens supervacaneas & ascititias, tempestivè autem & mediocriter, cum decori ratione obsequens necessariis. in Gryllo. Chrysost. est Sobria fru-

galitas, in victu, voluptate & sanitate. Macrobius sic: Temperantia est nihil appetere pœnitendum: in nullo moderationis legem excedere: Sub jugo rationis cupiditatem domare. Verum ab hisce discedentes & Arist. definitionem recipientes

Symp. III. *Conclud. III.* Temperantia est virtus, quæ mediocritatem servat in voluptatibus, circa gustum & tactum gulæ, pudendorumq;.

12. *Verumenimverò cum sæpius ex visu ad intemperantiã delabamur, & auditu, quæritur an non etiã circa visum & auditũ versetur temperantia? ubi sic distinguimus: ut temperantia minus sit principalis & communis, principalis & propria: Sic etiam ejus objectum. Cum ergo gustus, & tactus sint objectum principale, principaliter etiam circa hos versabitur, minus principaliter est circa reliquos, & inter hos etiam circa visum maximè; quod hic sit*

supra

supra auditum, ex eo etiam periculosior. Paraldus Tomo. 1. tract. de Temperantia. cap. 18.

13. *Enim verò cum Stoici velint e-* Cap. XI.
xtirpatas voluptates omnes, ipsam naturam tollent. Sunt enim quædam ita naturales, ut per eas conservet natura vel speciem & genus, qualis procreandi appetitus: vel individuum, qualis appetitus nutrimenti. Omnis enim natura sui appetit perpetuitatem. quam cum in Individuo non habet, nec invenit, quærit eam saltem in specie.

14. *Neq; enim sic arcendus est homo à voluptatibus, ut vel suam speciem tollat, vel suam vitam suffocet, & extinguat: sed ita temperabit utrumq;, ne honesti limites excedat. Seu quod est Patritij: Sic voluptatem admittamus, ut, naturali modo contenti, rationi non adversemur, aut ab humanitate non discedamus. Erasmus. Non turpe est uti concessa voluptate, sed ei servire, deditumq; esse, in turpibus est. Sapientia namq; cum humanitate miscenda, homines enim sumus, humana ergò à*

nobis ne sint aliena. Qui sic statuunt ijs magis auscultandum, quam illis, qui rigida quadam ratione divina solum contemplantur, vixq; tantum corpori relinquunt, quantum satis sit ad vitæ usum necessarium. Patrit. lib. 6. de Reg. & Regis Instit. tit. 18.

15. Ex quibus sequitur voluptates esse, vel naturales, vel juxta consuetudinem. Naturales tum quibus species in suo genere propagatur, tum quibus ipsum individuũ cõservatur. sunt n. alia aliis jucũda, & quædam omnibus jucundiora quibuslibet. Juxta consuetudinem verò, quando talem, vel non easdem appetimus. illæ naturæ sunt, hæ nostræ. In naturalibus ergò cum pauci peccent, peccatur etiam maximè in excessu. Undè sic peccantes dicuntur γασρίμαργοι, ventre furentes, quod præter conveniens ipsum complent & farciunt. In ijs verò quæ propriæ sunt & adscititiæ multi peccant, pluribusq; modis. Gaudent enim ijs, quibus nõ oportet, quod sunt odio digna, gaudent supra id quam debent gaudere, gaudent magis quàm plerisq;

pleriqúe, & quomodo oportet.

16. At verò Temperantia, quæ, juxta Peripatiticos, prudentiam conservat, judicium stabilit, ac firmat in rebus agendis omnibus, nec permittit idem labefactari, aut corrumpi à voluptatibus, neq; à doloribus tabescere aut frangi: sine qua, juxta eosdem, reliquæ omnes inchoatæ & mancæ sunt, nec perfectum de se officium præstare possunt, sed aut metas transiliunt, aut vix è carceribus egrediuntur. Patrit. lib. 7. de Regno & Regis, instit. tit. 18. unde à Paraldo frænum dicitur sine quo spiritus æquè malè præsidet corpori, atq; eques insidet equo sine fræno, si vel sit indomitus vel etiam aqua, aut periculum aliud in promptu sit tomo 1. tract. 3. de Temperantia, c. 4. cum hæc gustum, tactũ & venerẽ moderetur. Plato lib. 3. de Rep. ἡ σωφροσύνη ἐστὶ τῶν ἡδονῶν περὶ ἐδωτας, καὶ ποτὸυς καὶ ἀφροδίσια: Tres ejus alij constituunt species, Sobrietatem, Abstinentiam, & Castitatem. Verum nos distinctiorem secuti methodum, cum Paraldo & cum Mauritiana Ethica distinguemus eam in

Species Temperantiæ.

eam in Sobrietatem, & continentiam, illa gulam, hæc Venerem concernit.

17. Sobrietatis autem vocabulum homonymon est. Interdum enim significat generalitèr omnem puritatem, tum cordis, tum oris, qua ratione homo dicitur Sobrius, qui in sermone, factis, & animo sincerus est. 2. denotat eam virtutem, quæ est ex Cardinalib. una. 3. sumitur pro virtute ea, quæ Ebrietati opponitur, seu excessui in potu. 4. quatenus denotat mediocritatẽ in cibo, & in potu, qua ratione ultima hic sumetur. ex Paraldo tom. 1. tract. 3. de temperantia. cap. 8.

18. Hac nec divitem carere posse, etiamsi solus cœnet, Plutarchus monet lib. de cupidite divitiarum. Quare etiam eandem nobis natura suadet: 1. per oris tum exilitatem, homo enim cum sit unum ex animalib. maximis, ore tamen ex his omnib. majorib. est minimũ. ut docet Arist. lib. de natura animal: tum paucitatem, cum enim aures duas, oculos binos habeamus, os habemus unum tantum. 2. per gustus brevitatem, hic enim non diutius

maner,

manet, quamdiu ad concoctionis sedem est delapsum, quod introsumitur. 3. per suam ipsius frugilitatem, siquidem mediocribus, imò paucis contenta, respuit immodica, & splendida. satis enim solrià prudenterque conversanti sal cum pane. Bernardus in in Epist. quod in Darij exemplo unico manifestum est. Cum enim hostem fugeret, & ex angore potius quam conflictu sitibundus aquam cadaveribus turbidam & inquinatam inveniſſet, negabat unquam se bibisse potum largiorem, aut jucundiorem. Paraldus tomo 1. tract. de temp. cap. 8.

19. Verumenimverò cum duæ sint Sobrietatis officia seu fines, juxta hos autem habitus definiantur lib. 3. Eth. cap. 7. & ex hoc etiam dividantur, omnis enim divisio ex differentia sua rectius desumitur, finis autem est loco differentiæ, duæ etiam erunt species ejus, Sobrietas seq. quæ excessum vitat in cibo, aliàs dicta Voracitas, gula vocabulo strictiori, Paraldus To. 2. part. 2. c. 2. & quæ sic dicitur vocabulo vulgari, quæ excessum vitat in potu. Sobrietas quæ in cibo.

29. *Quid jam, cum omnis virtus in mediocritate sit, Sobrietas illa, quæ est in cibo, etiam erit in medio, & sic omnes uno & eodem cibo fruentur, nec hic in quantitate magis sumet, quam ille? ubi sic distinguo.* ***Virtus versatur in medio non tanquàm indivisibili: Sed quod habet latitudinem; seu non versatur in medio Arythmetico, Sed Geometrico.*** *Aristot. lib. 2. cap. 2. Ethic.* ***Non ergò in quantitate erit cibi sumptio, sed in omnibus simul circumstantiis, ut sumat quantum, quomodo, & quando.*** *Ex quo cum temperantis officium sit, ut justo tempore sumat cibum, 2. ut justa qualitate. unde Seneca non ad voluptatem, sed ad cibum accede. Et: Ede citra saturitatem, bibe citra ebrietatem. 3. justa quantitate, simul quod illi, nec huic sufficiet. Miloni namq; sex minas sumere parum est, ei verò qui exercitationem sit initurus corporis aliquam, multum. lib. 2. cap. 2. Ex hinc rectè dicitur,* ***victus temperan-***

dus est,

dus est, non ex rerum copia, sed ex usu ac necessitate).

21. Juxta hanc rectè dicit Seneca, palatum tuum fames excitet, non sapores. Atq; exinde ne, cum naturam turbamus, simul etiam offendamus DEum. Multi enim per gulam sese interficiunt, sicuti Socrates ex temperantia per totum vitæ tempus inoffensæ fuit valetudinis. Quin cogitemus quam maximè ipse Deus offendatur, cum illud membrum, os scilicet, in Dei gloriam maximè vergat. Magna certè iniquitas est cum Deo hostiliter agere, cum in mensa ejus sumus, cum latrones caveant, ne noceant aliquot diebus his, cum quibus comederunt. Paraldus.

Sobrietas in potu.

22. Huic ex latere respondet Sobrietas in potu, sobrius autem dicitur Nonio quasi separatus ab ebrio, quam nobis suadent brevitas delectationis, non minus ac illam, quæ est in cibo, periculum defectionis, magnitudo effectionis. Hac enim qui carent, virtutes alias omnes obscurant, & ab omni humanitatis commercio exci-

excidisse videntur, ita ut beluis potius annumerandi, quam cum hominibus sint censendi Patritius. Itaq; cum Sobrietas consiliorum sit parens, ebrii nulli negocio erunt habiles, Erasmus, in Apopht: cum in super, juxta Isocratem, ea mens, quae à vino corrumpitur, sit curro similis, qui aurigam amisit. imò juxta Senecam Ebrietas non aliud sit, quam manifestus Dæmon, quippe ex qua reliqua vitia omnia profluunt. Est equidem ejusmodi venenum, quod blandè recipitur, sed maximè nocet. Paral. par. 2. tom. 2. Vndè Gregorius juxta blandus dæmon, dulce venenum, suave peccatum, quam qui habet, non se habet, quam qui facit, non facit peccatum, sed totus est peccatum. quo enim quisq; magis bibit, tantò magis sitit, tantò magis peccat. Hujus equidem quantitas tanta est, ut quod reliquæ non possint, quod supra dictum, coniunctim, idem hæc unica possit sola. Quem n. Lothum non vicit Sodoma, is vino inebriatus in ōnia Sodomorum incidit vitia. Cito interficit hoc malum: durè affligit: vix curatur. Paral-

dus Tom.

dus Tom. 2. tract. 2. ita ut qui capitur ab ea, periculosè capiatur, firmitèr teneatur. ibid.

23. Habet namq; juxta Anacharsin, vitis tres uvarum species. 1. voluptatis 2. Ebrietatis 3. mœroris. Ex quo rectè Solon duplici pœna afficiendos sanxit, qui per ebrietatem quid commiserant, si ebrioso fuerint, ebrio enim, seu qui semel vino seducitur, remitti hac in parte potest, tum quod in se fuerunt injurij, tum quod alios læserint. quæ tamen lex adscribitur primùm Mytelenæo Pittaco. Patrit. lib. 7. tit. 27. de Regno & Regibus.

24 Continentiam a. hic intelligimus cum Paraldo & Mauritio. Eth. non quæ est via & διάθεσις ad temperantiam, sed quæ ipsa est temperantia, alias Castitas nomine preßiori. Virtus quæ libidines temperat in omni coitu. Hujus adjutrices sunt abstinentia, castitas, pudicitia. Cujus comes verecundia. quod signum semper in vultu. Ambrosius in off. pudicitiæ Comes est verecundia, cujus societate castitas ipsa tutior.

25. Est

25. *Est hæc virginum: Viduarum, Et Conjugalium. Per virgines intelligi volo non solum fæmellas, sed etiam juvenes & adolescentes. Hac floruit Polyxena apud Euripidem. quæ dum caderet cæsa omne studium in id intendebat, ne quam partem corporis denudaret. Martia Varronis filia, pictrix ingeniosissima, quæ, ne per suam artem pudicitiam læderet, à masculis pingendis abstinuit. Baptista Fulg. lib. 6. Josephus, qui etiam tractus voluit libidinibus obædire Potipharis uxoris, potius voluit vinculis includi. Sic etiam Philoxenis uxori satis erat virtus mariti pro ornamento vestimenti. Aelianus, ex quo etiam, præter mulierem sacram Susannam, quæ potius mori voluit, quam contra sanctitatem hujus virtutis esse, ea uxor, quæ increpata à marito quod gravelentiam, quam exprobarat Dionysius, non indicasset, dicebat. Putabam omnes viros ad eundem olere modum. Dos enim est magna parentium virtus, & metuens alterius viri, certò fœdere castitas. Poeta Lyricus lib. 3. od. 24.*

26. *Et*

26. *Et quidem in conjugio inter ipsos conjuges probari castitatem docet Solonis lex, quæ jubet, ne plus uno mense maritus in amplexum admittat uxorem. Sed ne incontinentes adhuc ipsi, multum de continentia, quæ opere potius exprimenda, quam verbis significãda. Quærere quis poterat an etiã virginitas cadat in juvenẽ? Quid ni. cũ ejus privatio sit in eo ex peccato quod est vel scortatio, vel fornicatio? An etiã sit virtus? Maximè, si modo virtus ea quam natura subministravit simul etiam continentia & ratione coadjuvetur. Virginitas enim non solum respicit carnem, sed etiam rationem. ubi illud pertinet quod dicit Hieronymus. Non prodest carnem habere virginalem, si animo quis nupserit. ubi tamen observandum, virginitatem sumi, 1. pro fide in corrupta 2. aut pro carne integra 3. pro carnis integritate & pro cordis puritate. 4. pro cordis puritate. Priori modo in omnibus est sanctis, nec huuloci, posteriori est tum in conjugio sociatis, tum in iis qui sunt extra conjugium. medio loco tantum in virginibus.*

27. *At*

27. *At verò quam vis hæc virtus laudanda etiam sit in viris, quippe, quæ virtutes horum maximè accumulat, & est tanquam regula vitæ humanæ, quæ eodem officio in nos fungitur, quo præceptor in discipulum, quod singulos affectus moderetur, Patrit. lib. 6. tit. 22. tamen in mulieribus tantò magis elucet, quanto ejus vitium in his est maximè detestabile. Tanta enim in hoc habetur sexu, ut non modo omnibus sit futura odio, sed & omnium criminum rea habenda, quæ quid contra pudicitiam, ac Castitatem modo commiserit; & ita, ut nulla unquam virtute, quod semel contra hanc commissum est, probrum, aut turpitudo possit redimi, vel expiari. Patrit. citat lib. cap. 27. Unde etiam apud Romanos, quæ unius viri connubio contenta erat uxor, tanta est habita, ut pudicitiæ corona donaretur Patrit. Citat. lib. c. 22.*

28. *Vt verò Sobrietati, quæ est in cibo, opponitur gula, sic huic Luxuria, quæ duæ Diaboli manus, quibus homines solet capere. Paral. tomo. 2. part. 2. cap. 2.*

ubi in

ubi in posteriori utitur tanquam retibus Incessu, qui hominem ab homine deducit, & canibus assimilat, imò in canem mutat, qui humanitatis oblitus, suo sanguini se miscet, Paraldus cit. loco c. 4. Adulterio: Scortatione. Concubinatu. quo ultimo, quos alias non potest, irretit rete. quod omni id mali dolo abscondit.

29. Temperantiæ in excessu in genere opponitur intemperantia ἀκολασία. Ut ergò temperans. 1. non delectatur quibus non oportet, sed multo potius angitur, 2. nec valde delectatur, cum etiam nec ea doleat, quæ absunt. 3. cupit quæ ad sanitatem, vel ad habitudinem bonam jucunda, seu etiam quæ his impedimento non sint, vel honestati repugnent, vel exhauriãt facultates, unde virtus hæc à Plutarcho definitur, quod & suprà dictũ, cõtractio quædã cupiditatum, & ordo perimens supervacaneas & ascititias, tẽperans v. et mediocritèr cum decori ratione obsequens necessariis in Gryllo. Intemperantes omnino contrario agũt modo. Itaq; à Plutarcho perfectum dicitur vitium, in Intemperantia.

quo & affectus animi pravus, & vitiata ratio; quorum ille appetitum ad turpia ducit, hæc malè judicando turpibus cupiditatibus adsentitur, sensumq; peccati perdit. de virtute morali.

30. *Hoc immani vitio Epicurei laborant maximè, qui circa ventrem, reliquosq; meatus carnis universos, per quos voluptas se insinuat, bonum summum existimãt. Plutarchus: qui plenis cupiditatum velis ad voluptates incitantur, & semper in ore, & in animo habent.*

Gratia quænam sit sine Cypride, quæve voluptas,
Hæc mihi cum curæ nonerit, emoriar.

Itaq; toto impetu etiam ad interitum ruunt.

Sine me perire. id namq; est in rem meam.

Vnde rectè etiam comparantur iis qui oleo ignem extincturi, id quod tueri poterat, ignem igni adjiciendo, omninò flammis devastant.

31. In

31. *In defectu verò opponitur ei vitium* ἀνωδυσία, *quod ipsum gradu differt. Vel enim minus gaudent alii, quam oportet, qui tamen rari. Omnia enim animalia dijudicant cibos & his gaudent, illis verò non item. Vel nihil habent jucundi. ita ut etiam cibus cibo his non differat, qui omnino absunt hominis natura, neq; nomen hi consecuti.*

32. *Quæri autem hîc poterat, qualis sit habendus hic, qui sit insensibilis? ubi notandum. I. Insensibilitas hîc intelligitur tantum gustus tactusque. Quod enim de medio dictum id etiam de extremis. II. Homo consideratur aut ut est politicus, aut ut est contemplativus. Si ergò ut politicus quis careat vel omni sensu, vel etiam gustu, tactuq;, tantum abest ut pro homine sit habendus, ut etiam nec possit dici animal. Omni enim generi animantium innatum est, discernat cibos, potusq; convenientes. Si ut contemplativus, & sic erit quodammodo supra hominem, quippe qui non, ut*

truncus, respuit jucunda, sed ut magis quid quam homo, & ferè ut quid divinum.

33. *Cum verò & fortis dictus sit versari circa dolorem, ne temperans cum illo habeatur pro uno & eodem, concluditur.*

Symp. IV. *IV.* Fortis & temperans uno & eodem modo non versantur circa dolorem. *Quod hac probatur hypoth. Fortis. 1. principalitèr versatur circa dolores. 2. non dolet plus quam par est, cum ea adsunt, quæ dolorem afferre possunt. 3. dolet ob res præsentes formidabiles. Cum verò temperans principalitèr circa voluptatem versetur, minus principalitèr circa dolores: Intemperans plus doleat quam par sit: doleat ob res absentes jucundas: & doleat dum frustratur, & dum cupit, quod conclusum est, stabit.*

Cap. XII. 34. *Ex quo Intemperantia à timiditate ut separetur Concluditur. V.*

Symp. V. Intemperans est magis culpandus ἐψοναδισότερος quam timidus. *Quod hac*

hoc hypoth. manifestum est. Intemperans 1. sciens, volens agit, quod ex voluptate agit 2. potuit se facilius adsuescere, si non jam cum ex habitu intemperanter agit, at tamen cum intemperata agebat 3. sine omni est periculo, atq; sic etiam sine periculo potuit abstinere ab intemperatis, temperata agere. Cum autem timidus non ita sponte videatur agere, terror enim & periculi metus ita animum turbant, ut inscius quasi & coactus arma abjiciat, animum spondeat: non possit sese ita facilè adsuescere formidabilibus: non sustineat formidabilia, nisi cum periculo etiam vitæ, nec vituperandus erit, ut intemperans.

An vitia invita.

35. *Quæritur autem* an vitia quædam sint invita? *Affirmat Aristot. Distinguimus hoc modò. 1. Vitium considerandum vel ut est habitus vitij, vel ut principum habitus,*

vel ut actus ex habitu. II. Vitium refertur ad electionem, & ad objectum, ut sunt dolor & voluptas. Si ergò Aristot. dicit alibi, quicunq; malus sit, hunc non posse nõ malũ esse? de habitu id erit intelligendum. hunc enim nemo volet. non de principiis, aut actu ex habitu. ut enim illa potuerant præcaveri, ita hic potest cohiberi. & hoc est quod Arist. hoc cap. dicit. Singula quidem sponte sunt cupienti, totum autem minus. nemo enim cupit intemperans esse. Si quod hoc loci timidus dicatur agere invitè? Ratione scilicet objecti, non verò ratione electionis. ut enim alterum præ altero magis potest accusari, sic etiam alterum magis est spontaneum, alterum minus.

36. Atq; hinc etiam magis sunt castigandi, unde nomen videntur sortiri, ut dicantur ἀκόλασοι, quasi μὴ κεκολασμένοι, quasi non satis castigati, intemperantes. Quod enim in pueris malè educatis evenit, ut eorum petulantia opus maxime habeat castigatione, id etiam voluptatibus evenit,

nit, quæ nisi in principio castigentur, mox hominem non ad infantes & pueros solùm, sed ad bruta detrudunt.

An convivia vitanda propter ebrietatem.

37. Quærat verò quispiam ultimò an convivia, quæ ebrietate aluntur, sint damnanda? *Affirmo.* Si quidem omnis ebrietas in vitio est, & juxta Catonem, voluntaria insania. Ergò & ipsa convivia ebriorum. Sed tamen etsi Sobrietas omnem decet ætatem: tamen magis decet adolescentes, virgines, & magistratum. Illos, ne pudicitiæ naufragium patiantur, ingenium corrumpant, ventri, gulæq; adsuefacti ab honesta vita seducantur. qua de causa procul omni lite Lacedæmonij servos inebriatos liberis suis, tanquam suum imaginẽ, ob oculos posuere, ut testis est Plutarchus. Hos ne officijs neglectis, Reipublicæ detrimentum importetur, tyrannis creetur. Itaq; convivia in totum abolenda vitandaq;? Nego, quod conviviis sublatis amicitia tollitur, amicitia sublata sol è mundo. sed tamẽ sic in conviviis bibamus, edamus, ut cõverſemur, colloquemur: Nõ cõverſemur

conflictemur. Et tum ad convivia accedamus, ubi bonus invitat, & ubi ad bonum.

Ethicotheologica.

I. Tantò minus abest, ut nobis Sacra scriptura interdicat temperantia in cibo, & potu, ut eam maximè etiam passim mandet, imò potatoribus & gulosis mortem minetur æternam 1. *Corint* .6. *Et Lucæ* 21. *Verum quemadmodum & natura nobis suppeditavit alimentum, sic nec Deus, ex cujus benignitate vivimus à cibo nos detinet. Ita etiam ut de nullo nobis interdicat cibi genere. omnia enim facit salubria & munda actor.* 15. *Itaq; non audiendi qui vel certis diebus jejunium constituunt, vel certis cibis abstineri volunt. Equidem, quod Augustini est, In Sacra scriptura præceptum video esse jejunium, quibus autem diebus vel oporteat, vel non oporteat jejunare, nõ video definitum Epistola* 86. *ad Casulanum. Et hoc tantò minus quantò venter illorum, qui tanquam sepulcrum est de-*

esse dealbatum, jejunij simulati temporibus voluptuosa magis appetit. qui juxta Augustinum, observatores quadragesimæ potius sunt delitiosi, quam religiosi. qui vasa, in quibus sunt coctæ carnes, tanquam immunda formidant, ventris & gutturis Luxuriam non reformidant. non ut differant edacitatatem, sed ut augeant aviditatem. Sermo. 157. de tempo. Nihil enim prodesse tota die longum duxisse jejunium, si postea ciborum suavitate, vel nimeitate anima obruatur idem Augustinus 56. Sermon. Et quantò maximè sepulti sunt vitiis. Si corpus tuum longa consumpserint jejunia, atque illi subtraxeris cibum, cum non detrahis vitia, in malis perseverans, magis horres, quam places Deo id. Augustin. De iis verò qui certo cibo abstinent sic. Quod scripsisti, quosdam fratres ita temperare à carnibus edendis, ut immundos, qui comederint, arbitrentur, apertissimè contra fidem sanamq; doctrinam est. Epist. 119. ad Januarium.

II. Ut vero quæ ad conservationem vi-

tæ voluptates non omnes sunt damnabiles, sic nec eæ quæ ad propagationem. Non admittendi itaq; nec audiendi, qui cum Tatianis, Hierarchitis & Manichæis, malas dicunt nuptias, vel cum fornicatione comparandas, aut stupro, August. 58. cap. de Eccles. dogmatibus, propter concupiscentiæ fervorem: sed honeste hoc fervore utendum, pieq;. idem lib. 1. de peccatorum remissione. Etsi enim finis, in quem matrimonium contrahitur, non semper sit bonus, ratione scilicet contrahentium, qui voluptates amant, non conjugium: tamen conjugium est bonum. M. Sentent. lib. 4. dist. 31. art. 5. August. Nos teneamus apostolicam disciplinam docentem, quod omnia munda sint mundis, servata moderatione evangelica, ne gravetur corda nostra crapula & vinolentia, & curis secularibus, ad Adimantũ Manichæi discipulum c. 14. Malas dicere nuptias, cibos quoq; credere malos, vel malicias causare percipientibus, non est Christianorum, sed propriè Hierarchitarum & Manichæorum 58. c. de Eccles. dogmat.

Disputatio decima

EX LIB. IV. CAP. 1. ET 2. De Liberalitate & Magnificentia.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

ad VI. Septembris

Respondente

CHRISTOPHORO HERVVIGIO Anclamensi Pomerano.

THESIS I.

VTI fons obstructus nemini prodest, ipse, quando quidem sic ad putredinem facilimè abit. Sibi obest: Sic & virtus, cujus benignitas ita circumsepta est, ut nemini ad eam pateat aditus, non est virtus, sed virtutis corruptio. Itaq; ne ipse homo in se possidens bonum, tamen non sit bonus, præcavendum est, ne ipse solus hoc utatur bono, sed fructum ejus percipiat alter, ut Præceptor noster docet, ubi post tractationem virtutum, quæ sunt in com-

in communicatione ἀρεταὶ κοινωνικαὶ *dicta, quales sunt* LIBERALITAS *&* MAGNIFICENTIA.

2. *Liberalitatis autem maximè habemus rationem, quod tum in vita humana maximè necessaria, & splendida, tum affinissima est theologicæ charitati. quam sic Agesilaus amavit, ut aureis, argenteisq; vasis eam haberet cariorem. idq; exinde, quod præ reliquis virtutibus omnibus ad se allicit, & maximè facit, ut eos diligamus, in quibus inest, & quod homine libero maximè est digna. Cic. unde etiam cum græcè dicatur* ἐλευθεριότης, *latinè dicitur Liberalitas.*

An liberalitas sit justitia.

3. *Hanc eandē quidē habent cum frugalitate, cū tamē hæc & cibū & potū quodamodo concernat. Alii volunt eam ad justitiam referre, & distributivæ speciei annumerare. Quod quali cum veritate, hac planum faciemus hypoth. Justitia l. est quodammodo coacta. Dico quodammodo, quatenus legibus jubetur, hæ enim nolentes & improbos cogunt,* exti-

excitant & incitant volentes & bonos. Est tamen libera, quatenus respicit voluntatem, nisi enim voluntaria esset minime diceretur virtus, nihil enim, quod invitum, est virtus. quod idem ratione finis verum est, non ratione principii, aliàs enim ad rogum ducti, de virtute nihil communicarent, vel etiam parum 2. *est promerita. Vel enim respicimus commutativam, & res habemus, quæ parem & justam retributionem postulant: vel distributivam, & benemerita & malefacta sunt, quæ præmia & pœnas suo jure repetunt.* 3. *Ex quo etiam de alieno dat potiùs, quàm de suo.* Dico potius, *quod etsi de suo reddit, quod tamen adhuc verum esse videtur tantum de justitia commutativa, non vero de distributiva, quæ de bono publico potius videtur distribuere, tamen alterius res faciunt, ut non de suo, sic enim omninò gratis daret, sed de alieno det.* 4. *& bonis & malis sua dat. quamvis enim homo optimus quisq; cum pessimo quoq; contrahat, non minus tamen*

pessi-

pessimo suum justitia tribuit, quam optimo. Jam ergò cum liberalitas sit libera planè, non enim quod coactè fit, liberale est. Etsi Mauritiana Ethica statuat contrarium, quando liberalitatem dicit coactam, lib. 2. c. 26. hoc n. verum civiliter nõ videtur, cum leges nullas habeat, forũ liberalitatẽ nõ exigat, exigat tamen justitiã. Etsi theologice idẽ verũ sit de utraq;. nihil hic sit promeritum, omnia grata, aliàs enim debitum esset, non beneficium: cum omninò det de suo: & exeratur tantum erga bonos, minimè erit justitia. Vel sic: Justitia versatur in rerum commutatione: honorum & pœnarum distributione. Cum jam liberalitas versetur in pecuniarum largitione, & acceptione, in officiorum etiam, si vis, communicatione, cum justitia eadem non erit.

IV. Si verò quæ opponi possint. his tollo hypoth. 1. Non continuò quæ conjunctæ sunt virtutes, una & eadem sunt. Aliàs enim ira, quæ

cum

cum fortitudine est conjuncta, imò temperantia, quæ utplurimum est conjuncta, cum prudentia, una, & eadem essent. II.

Quod dirigit & dirigitur non sunt idem, differunt enim non aliter ac causa & effectum. Si ergò opponatur liberalitatem minimè esse, nisi sit justa? Non continuò itaq; ipsa erit justitia. quippe quæ cum justitia est conjuncta, si sit justitia, omnis justitia erit liberalitas. Sed tantum dirigetur p justitiã. Ex quo differunt simul officiis, actione scilicet & passione, quatenus enim justitia dirigit, agit, quatenus liberalitas dirigitur, patitur.

V. *Verumenimverò Liberalis cum non laudetur in rebus bellicis aptè ordinandis, laudabitur autem & in bello, quodubiq; : nec etiam in voluptatibus gustus & tactus rectè moderandis : nec in judiciis acriter exercendis, sed in largitione & acceptione pecuniarum,* περὶ δόσιν χρημάτων & λῆψιν, Concluditur I. ἐλευθεριότης ἕξις περὶ χρήματα μεσότης. **Liberalitas est** Cap. I. Symp. I.

est mediocritas circa pecunias. *undè liberalis est* ὁ ἄρισα χρῆται τῷ πλούτῳ. *Cum quo & convenit quod* 1. *Rhet. c.* 9. *definitur* virtus pecuniis benefaciens. *& in lib. de virt.* Virtus honestorum sumptuum.

VI. Jam cum hæc virtus longè lateq; pateat, & pecuniæ limites longè videatur

Sym. II. *excedere concl.* II. Per pecuniam res omnes, quarum æstimatio nummo mensuratur, sunt intelligendæ. *ex quo etiam J. C. T. I. pecunias definiunt lib.* 50. *pand. tit.* 16.

VII. Sunt ergò pecuniæ sujectum circa quod liberalitas, quæ tamen aliquando

Pecuniæ instrumentum & objectũ liberalit.

etiam fiunt instrumentum ejus. *Sed objectum sunt. quatenus in earũ acceptione & largitione animus frenandus, instrumẽtum v. quatenus liberalitas per eas est exercenda. Ad quas tamen alii referunt omnia bona operarum, doctrinæ, & consiliorum. Fortaßis, quod hæc pecunia vix redimi poßint, & interdum plus valeant, quàm ipsa pecunia. Ex quo huc pertinebunt*

bunt hospitalitas, studium gratificandi, Eleemosyna, cui subservit misericordia, institutio & doctrina.

VIII. Cum jam in largitione & in acceptione versetur, hinc rectè dicitur promus-condus. Promus, quod de re sua dignos adjuvat, sine alterius injuria. Condus, quod accipit, unde oportet, & conservat, quæ comparata sunt, ut pro honestate habeat, quum quæ sint depromenda. Ne tamen utrobiq; in pari habeatur laude, concluditur III. Liberalitas magis versatur in dando, quàm in accipiendo, aut non accipiendo. Maurit. Ethica. Symp. III.

IX. Equidem cum duo sint respicienda in pecuniis, κτησις & χρησις *possessio & usus, omne quicquid habebit laudis, in usu habebit. Hic verò cum sit in acceptione, & in erogatione, non modò in erogatione potior erit, quàm in custodia, hæc namq; respicit* κτησιν, *sed etiam quàm in acceptione. Cogitabit enim liberalis, quomodo sua ad hominum utilitatem erogare possit. Patrit. lib. 2. de Regno & Regis instit. tit. 3.*

X. *Hæc patebunt hac hypoth. 1. Virtutis est benefacere potius, & honesta agere, quàm beneficium accipere, & honesta pati. 2. Virtutem quam laus sequitur major & gratia, ea etiam major est. 3. quod difficilius, idem etiam laudabilius. 4. Virtus semper alijs prodest, non sibi. Cum ergo is, qui erogat beneficium, benefaciat, & honesta agat: major etiam laus & gratia sequatur eum qui dat, quàm qui accipit, aut non accipit: facilius sit accipere, quàm dare, vel non accipere. Suum enim magis non profundunt, quàm alienum non accipiunt: profit potius erogatio alijs quàm acceptio, aut non acceptio, erogatio magis erit liberalitas, quàm acceptio. quippe ex qua magis laudamur, ut liberales, imò ex qua potius magis amamur.*

10. *Difficultas autem dandi non solum in eo consistit, quod suum multò minus amittere velint, quàm alienum rape-*

re,

re, sed quod dare maximè est periculosum. Etsi enim nihil humanæ naturæ sit accommodatius, vel ad benevolentiam conciliandam aptius liberalitate: tamen multas habet cautiones Cic. lib. 1. & 2. officiorum. Quarũ 1. in fine est. 1. ut detur τὸ καλὸ ἕνεκα, honestatis gratia. actiones enim virtutum honestæ sunt, & gratia honestatis. 2. non ostentandi animo, aut ad beneficia majora reportanda, seu, ut cum Gellio loquar, nulla tacita ratione utilitatis ad nos redundante lib. 17. Noct. Att. c. 5. 11. in Modo. 1. ut dans det ἡδέως καὶ ἄλυπως libenter & cum voluptate, sine omni dolore, ut enim juxta Syracidem hilarem datorem Deus diligit: Juxta Dionysium Halicarnassæum dona voluntaria dantibus sunt gratiora, quàm coacta, accipientibus autem firmiora: ita hic magis eligeret pecunias, quàm honestas actiones, juxta Aristot. 2. ut detur dignis, qui enim indignis dant canes alienos pascunt, à quibus post mordentur, Isocrates in paræneſi ad Dæmon. 3. ut major sit benignitas, quàm facultas

lib. 2. offic. Cic. ne aliis sit juxta Apost. ἄνεσις *relaxatio, nobis verò* θλῖψις *angustia. Neq; enim in multitudine eorum, quae dantur liberalitas est, sed in habitu dantis. unde nihil prohibet liberaliorem esse, qui pauciora dat, si ex paucioribus det. 4. detur pro necessitate cujusq; 5. detur quod prosit, non obsit. non enim danda sunt deteriora, nobis verò servanda, quae sunt meliora 6. detur citò, ingratum beneficium est, quod diu inter manus divitis haesit, Seneca de beneficiis. Et quemadmodum bis dat qui citò dat: sic amicis iis benefaciendum, qui & indigent, neq; postulant Eth. 9. cap. 7. & eo loci & tempore, ubi honestum est dare. Cum enim quae dantur vel honestatem promoveant, vel necessitatem, & egestatem sublevent, quae honestatem concernunt, ubiq; & omni tempore possunt dari, quae necessitatem, non item. Virtus namq; non pudefacit, quod hîc facilè contingere potest, ob modestiam ejus, qui ex egestate accipit.*

In quo error magis dolcat

10. *Verum enim verò cum non ubiq; sese possit rectè habere liberalis, & interdum*

dum det indignis, & non det dignis, magis tamen dolebit, cum non dat dignis, quàm cum dat indignis. *Satius enim est indignis dare, quàm dignos præterire liberali, ac melius est Agesilao innocentem absolvere, quàm innocentem condemnare.*

13. *Cum verò is, qui nondum expertus sit indigentiam, sit largior, & omnes magis sua ipsorum ament opera, hoc exurgit hîc porisma.* Liberalior est qui accepit facultates, quàm qui acquisivit. *hic enim cum expertus sit inopiam, etiam suum opus magis amat, atq; exinde est tenacior. Cum verò magis det quam accipiat. II.* exurgit porisma: liberalis non facilè ditescet. *non enim fieri potest, ut pecunias habeat is multas, qui ut habeat, diligentia nõ utitur.*

Quis liberalior.

Non facilè ditescit.

14. *Ne tamen sua virtute privetur, ut habeat unde eam exerat, accipit etiam, quam vis idem summè cautè, & ita* I. *ut unde non oportet, non desumat, injustus enim alias esset, unde Valerius Publicus laudatur, non solum, quod in a-*

Cautiones in accipiendo.

lendis sublevandisq; pauperibus suas consumpsit divitias, sed quod ab omni injuria, in comparandis iisdem, fuit alienus. 2. neque etiam petit. mavult enim dare, quàm accipere. 3. de suis sumit proventibus, quo alteri sit benefacturus. qui enim res suas ad hominum utilitatem largiri gaudet, ab alienis ut manus abstineat, verisimile est. Patrit. lib. 2. tit. 3. de Regn. & Reg. instit. hoc nomine se laudat Galba: non ex publicis, sed ex privatis te dono, inquiens, pecuniis Bruss. lib. 2. cap. 22. 4. non est ληπτικὸς, pronus ad accipiendum, sed potius προϊκτικὸς ad largitionem. optabilius enim novit, ex Bione, suam messem alteri largiri, quàm alienam decerpere. Unde Dionysius, quod sæpè pecuniam daret Platoni, nunquam acciperet, hoc elogium ab Aristippo sæpissimè audiebat: Tutò liberalis, & magnificus es Dionysi, Bruss. lib. 2. cap. 2.

Conc. IV. 15. Cum jam in medio sit posita virtus omnis, Conclud. IV. hæc, non aliter,

tèr, ac reliquæ extremitates suas habebit, *quarum altera in excessu dicitur* ἀσωτία profusio, *altera* ἀνελευθερία illiberalitas. *Verum cum non omne, quod* ἀσωτία *videtur, sit* ἀσωτία, Concl. V. Ἀσωτός ἐστιν ὁ φθείρα τὴν οὐσίαν, *prodigus, ab aliis dictus luxuriosus, quod non alitèr, ac luxata membra, suis sedibus disturbetur, Patrit.* qui rem suam consumit, & sc. *bonorum enim dissipatio, ipsius est perditio, quod ex illis ijsdem vita est. ergò & perditio.* Concl. V.

16. Intemperantes ergò non sunt prodigi *propriè appellandi, quamvis intemperantia plerumq; est cum prodigalitate, ex quo etiam videntur esse improbissimi, quod multas simul habent vitiositates.* Intemperans non est prodigus.

17. *At enim prodigus quamvis affectet liberalitatem, nõ tamen est liberalis, quod hac patet hypot. 1. Liberalis dat & dat juxta virtutem. dat namq; digno, honestæ enim actiones honestis actionibus sunt occupandæ, Plutarch. in* Prodigus non est liberalis.

Rom. apopht. Sicuti etiam rectè Archelaus poculum dedit non petenti, petenti inquiens: dignus eras qui peteres, nec acciperes: at hic dignus erat, qui acciperet vel non petens. ib. Plut. Quamvis ali-

Quæ indignis cõferruntur benefic.

quando non parvi sit animi etiam in indignos conferre beneficia. Unde Alexander, Regium & ineos, à quibus malè audias, sæpè, & multum conferre: & Alphonsus oblatrantibus canibus offula objicienda est Pont. cap. 5. & 30. de liberal. 2. sumit unde oportet. 3. nihil cõmittit mali. 4. dolebit, si quid præter conveniens factum sit, sed moderatè, plus enim debet posse liberalis dandi ratio, quàm accipientis indignitas, rei quantitas. Cum vero prodigus non det modò juxta virtutem, non enim dat cui oportet, sed cuilibet, sed nec etiam det, sua enim nõ tribuit, sed perdit Paraldus tomo 2. de Avarit. part. 5. cap. 1. Piso de Othone, perdere ipsi sciunt, donare nesciunt. Imò etiam sumat unde non oportet, expendat, ubi non decet:

juxta

juxta Cratetem enim, prodigorum opes similes sunt ficis arboribus in præruptis locis, ut enim ex his non homines, sed milvi rapaces & corvi: sic ex horum facultatibus tantum aluntur scorta & adulatores Laertius lib. 6. cap. 5. Faciat sumptus magnos ubi non decet, exiguos ubi præstat magnos facere, Chilon ad adolescentem prodigum. & si nec habet in promptu, unde expendat amplius, etiã injurius insuper fiat & rapiat, qualitèr faciebat Ctesippus, hic enim cũ omnia sua bona decoxisset, lapides de sepulcro paterno vendidit Athen. lib. 4. c. 20. Et quævis committat mala, ita ut sè ipsum sæpè interficiat, unde etiam αὐτοκτόνος dicitur. qualitèr Apicius cum nihil haberet, quod amplius profunderet Patrit. lib. 4. cap. 20. de Regno & Regis instit. nihil doleat, quandiu habet, liberalis neutiquam erit. Qui dant plures sunt, perpauci qui dare sciunt. de Alphonso Rege, Panormitanus lib. 7. de Alphonsi rebus gestis.

18. *Nec tamen omnes prodigi pares sunt. Sed alij profundunt & nihil ex-*

pectant rursus. Alij sua tum profundunt, tum etiam aliena quovis modo rapiunt, qui tamen ut discernantur ab avaris, Con-

Symp. VI. clud. V I. Ἀνελεύθερος, illiberalis

Avaritia. seu Avarus est, qui in accipiendo non servat rationem justitiæ, vel æquitatis. μᾶλλον ἢ δεῖ πρὸ χρήματα σπουδάζουσιν, vel ut Socrates definit, qui turpia lucra venatur, & necessaria amicorum negligit.

19. Vitium hoc ita exosum est, ut à Bione sophista dicatur, omnis improbitatis metropolis Stob. Serm. 8. à Timone, elementum malorum. Eras. lib. 6. Apopht. à Salomone radix omnium malorum, quod omnes virtutes enervat atq; perimit, Patrit. lib. 4. cap. 9. de Regno & Regis instituti tantum, ut idem avari ipsi summè detestentur, quod dicebat, Diogenes Cynicus Laertio teste lib. 6. Cum verò in defectu largitionis & in excessu

Symp. 7. acceptionis sit, Concl. V II. Vitium hoc non est uniforme. Sunt enim avari 1. Alij qui in dando quidem deficiunt, & ex-

sangues

sangues sunt, aliena verò non rapiunt non quidem ex honestate, virtutem enim avari omnes ferè habent post nũmos sæpissimè ex metu turpitudinis, dicunt enim ob id se servare, ne turpe cogantur quid committere, vel formidine. timent enim de suis, quod facilè auferatur ei, qui aufert. qualis Euclio, qui cum lavat, aquam plorat effundere, & unguium præsegmina perire. dicti γλιχροὶ, κίμβικες, Sordidi. II. Alij, qui in accipiendo excedunt, & quo jure, quaq; injuria quæcunq; obviam habent, rapiunt. qualis Dionysius qui ne à Dijs abstinuit, αἰσχροκερδεῖς, turpi lucro dediti. qualis sunt lenones, aleatores, ab amicis enim hi lucrantur, quibus dare oportebat. piratæ, fures, fœneratores, & horum similes. III. Alij qui in dando sunt Eucliones, in accipiendo harpyæ. qui ultimi ita sunt execrabiles, ut nullum officium sit tam sanctum atq; solenne, quod non comminuere & violare soleant. Quarè nec rectè hi appellantur avari, seu illiberales, sed improbi, impii & injusti. Itaq; conclud.

VIII. Avaritia longè deterior est pro-

prodigalitate.

20. *Hoc probatur hac hypot. Avarus* 1. *est sanatu difficilis* ἀνίατος, *idq; tum ratione ætatis, est enim plerũq; in avaritia senecta; tũ causæ, à natura enim quodammodo videtur inesse: tũ naturæ, est namq; multiplex. Etiamsi avari in vitium contrarium interdum prolabantur, quod contigit Demadi oratori, qui Demosthenem superavit oratione non præmeditata, & extemporanea. qui cum magnas pecunias corrasisset, mox eandem per luxuriam decoxit. Patritius lib. 3. tit. 9.* 2. *nihil participat, de liberalitate nec ratione sui, nec ratione aliorũ. Ita enim habent rerum suarum curam avari, quasi sint propriæ, ex ijsdem nihil capiunt utilitatis, quasi sint alienæ Laert. lib. 4. cap. 7. unde non possident facultates, sed ab iis possidentur Paræus. atq; adeò ut fiant servi, & mancipia juxta Democritum, cum etiam à se ipsis longissimè absint, juxta Platonem.* 3. *nulli & utilis. Cum n. putet se semper victurum,*

ut prodigus putat se cras moriturum, ne careat veretur Laert. lib. 5. cap. 1. unde ut à mortuo non est expectandum colloquium, sic nec ab hoc beneficium Socrates dicebat. Erasmus lib. 8. Apophr. 4. est insatiabilis, quantò enim plus habet, tantò minus possidet, majores namque cupiditates majores indigentias faciunt. Stobæus serm. 8. de injustit. unde à Diogene comparatur hydropico, qui quantò plus bibit, tantò plus sitit. 5. maximè abhorret naturam humanam, quæ in communicatione officiorum maximè cernitur. Jam cum prodigus sit [illegible] & sanabilis, ratione tum ætatis, tum inopiæ futuræ facultatum: det cum liberali, etiamsi non ut liberalis, melius tamen est ditare, juxta Ptolomæum, Lagi filium, quam ditescere. Aelianus lib. 13. de varijs historijs: & ex hoc etiam ad liberalem magis accedat: sit satiabilis, pauca enim ei videntur sat esse: magis accommodatus sit humanæ vitæ, quam vis prisci Romani in pari turpitudine habebant, &

qui

qui majorum suorum facultates abliguriſſent, & qui paternos opes ſine cauſa honeſta ſubitò augebant Patr. lib. 4. cap. 9. melior erit quàm avarus.

21. Hic quæri poteſt, an etiam in juvenem cadat Avaritia? videtur N. Ariſt. lib. 1. Rheticor. quod in ſenibus tantum avaritiam ponit, quod hi habent experientiam inopiæ. A. contra hic quando dicit à natura ineſſe avaritiam. Diſtinguo ſic: Poteſt quid ratione principij & diſpoſitionis ineſſe alicui, ubi tamen non ſit habitus. In Rhetoricis ergò intelligit habitum, in Ethicis principium & diſpoſitionem. Sed tamen in aliis magis in aliis minus ſeſe exerit. ubi verò in adoleſcente animadvertitur, metuendum, ne, ſi ad annos & poteſtatem aſpirarit, peſſimus evadat. omnium enim malorum avaritia ſeminarium. Quam cum nobis natura diſvaſerit, hæc enim terram pedibus ſubjecit, ut terrena pedibus mentis conculcemus, Paraldus. probibuerit caritas, cum tamen

An juvenes avari.

ab ea deflectimus, ne in contrarium vitium prolabamur Arist. præmonuit caveamus lib. 2. cap. 5. Sed maximè studeamus parsimoniæ, tum enim viri rectè sapiemus. cum nec sordes avaritiæ olebimus: nec vapores prodigentiæ redolebimus Patrit. lib. 6. tit. 2. Cap. II.

22. *Liberalitatem Magnificentia ordine sequitur græcè* μεγαλοπρέπεια, *sic dicta Aristot. quod à magnis exercetur viris: ex magno sumptu; in magno opere: & in finem honestum, Acciajolus in hoc cap. Patritio magnidecentia, quod magnos viros deceat lib. 7. tit. 11. exaggeratio liberalitatis. cujus Conclusio prior I.* Magnificentia est impensa decora cum magnitudine. *quæ concernit nomen.* ὃν περὶ πάσας τὰς ἐν χρήμασι πράξεις ἀλλὰ περὶ τὰς δαπανηρὰς μόνον. Virtus operis in magnitudine modum & decorum servans. ἐν μεγέθει πρέπουσα. *Itaq; nec omninò different à liberalitate, nec omninò conveniunt. Prius ostenditur hac hyp.* Libe-

Magnificentia.

Symp. I.

Liberalitas versatur in pecuniis. 2. modum observat. 3. honestatem spectat. quæ cum competant etiam Magnificentiæ sic convenient. Posterius hoc 1. Liberalitas versatur in mediocribus sumptibus. 2. est contenta mediocritate pura & nuda. 3. latius patet, & habet locum generis. Magnificentia autem versatur in sumptibus magnis: respicit supra mediocritatem excellentiam & splendorem: est strictior, & habet locum speciei.

Acciajolus hoc cap.

23. *Neq; verò ad eos tantum abeo, qui tantum excellentia, & gradu differre has volunt, sed etiam eorum sententia placet, qui specie quodammodo eas volunt distinctas. idq; hac ratione, præter cætera, distinctus. 1. Liberalis prodesse vult, atq; inde dare. 2. alius vult inservire. 3. utilis esse. Jam verò magnificus cum velit expendere: Sibi etiam sit sumptuosus: & ad voluptatem faciat, quæ facit, plus quàm gradu differet. à liberæ-*

berali. Quæ enim gradu differunt, materiam & formam habent eandem, non diversam. Sed tamen species hæc talis erit, qualis virtutum omnium, & sic, ne ut genus intelligatur, quæ sub se habet liberalitatem & magnificentiam, sed ut est species.

24. *Verùm cum sit magnificus virtuosus etiam juxta virtutem aget. unde Concl. II.* Magnificus ubiq; se rectè habet. Symp. II.

25. *Primum itaq; scientèr agit, dum considerat intelligendo decorum, quod respicitur vel in persona impendentis, sui ipsius: in eo, cui sumptus fiunt: ex qua: & in quam rem. 2. facit sumptus tales & opus tale, ut illi huic, hoc illis respondeat, aut etiam sit splẽdidius. 3 honestatis causa agit, hoc enim cõmune est virtutibus omnibus. 4. facit sumptus libentèr & largè. exactam enim rationem illorum expendere est μικροψυχίας. 5. non quanti-*

tatem, sed decorum respicit. 6. sumptus citò expendit, atq; concinnè. non minus atq; liberalis. 7. potest eidem dem operi eodem sumptu majus decus creare: & denicq; sumptus expendit in ea, quæ sunt diuturniora. Ex quibus Concluditur III. Neq; in omnes res exercetur magnificen-

Symp. III. tia, neq; quilibet est magnificus.

26. Subjectum ergò operationis sunt impensæ, sed magnæ, eæq; Publicæ & Privatæ. Publicæ vel sunt sacræ, Templa: Salomonis. Ephesiæ Dianæ, de quo Plinius lib. 36. cap. 14. vel Prophanæ, ut quæ in muros Babylonios, Curtii lib. 4. quo nomine laudantur à Patritio sua gens Romana lib. 7. cap. 11. Cæsaris Bibliotheca & area emenda: Agrippæ, in publicis operibus extruendis. Privatæ, ut, nuptiæ, natalitia, equi, canes, hospitalitia, statuæ, Epitaphia, quale Regis Ægyptij, quod juxta Diodorum Siculum, in ambitu habuit trecentos Sexaginta quinq;

quinq; cubitos, descriptis, per singulos cubitos, singulis diebus, anni, omni astrorum ortu & occasu, & quicquid inde divinari possit Patrit. cit. loco. de sepulchro Mausoleo mirac. mun. vide Gelliũ lib. 10. c. 18.

27. Subjectum inhæsionis, sunt viri magni. Excludentur ergò 1. Pauperes. hi enim cum non habeant, quod expendant congruentèr, si quid tamen tentaturi sint, stulti erunt. Siquidem id tantum virtutis est, quod rectè est. 2. Pueri hi enim virtutem non possunt exercere, nisi διὰ τὴν ἐλπίδα velis. 3. Ignobiles, oportet enim nobiles, esse vel genere, vel virtute sua. An ergò & nobiles? Omnes in universum excludit hos Patritius. lib. 3. cap. 11. Principibus & Regibus eam tantum adscribens. Verum Aristot. contra dicit, & paulò post sese ipsũ corrigit Patrit. Magnificus quivis esse poterit secundum opes, ac potentiam suam, dummodo animum ex virtute promptum ad benignitatem beneficentiamq; habet. ubi tamen impropriè loquitur,

quitur, cum insuper nec Rex, aut Princeps, in quovis beneficio collocando sit magnificus, quod tamen Patritio placet, quam vis Principem magis condecoret, imò ad popularem non solum potentiam capessendā in hoc multum valeat, sed etiam infamiam, quod in Sylla contigit crudeli, abstergit. Quæ sic etiam Principibus innata, ut Sardanapalus, qui inguvies meritò vitiorum dicendus, tamen hujus laude, cum duas urbes Anchialem & Tharsum conderet, carere noluerit. Patrit. cit. loco.

Conclus. IV.

28. Cum verò omnis virtus sua habeat contraria, Conc. IV. Contraria hujus virtutis sunt, ἀπεροκαλία seu βαναυσία & μικροπρέπεια. illa dicitur, Luxuria, luxus, immanitas, sumptus indecori, absq; omni elegantia: hæc Sordes, parsimonia indecora, seu intempestiva in magnis operibus extruendis parsimonia.

29. Illi ergò 1. in parvis sumptus magnos faciunt. 2. ostentandi divitias

non honesti causa. 3. & ubi multa decet expendere pauca expendunt, & ubi pauca multa. Hi cũ magna expendunt, in parva tamen collocant, & sic ab honestate recedunt. 2. tardè expendunt, & semper de minuendis sumptibus cogitant. 3. Conqueruntur de sumptuum collocatione, & majores quàm sunt eosdem reputant. Uterq; etsi est in vitio, tamen neuter improbus. Siquidem nec damna inferunt concivibus aut prõximo, nec etiam sunt maximè deformes.

An Avaritia tum animo corpus ef fœminet.

30. *Quæri potest corollarij loco:* An Salustius rectè dixerit Avaritia, quasi venenis, malis imbuta corpus animumq; effæminat? *Quod ultimum nemo negabit? quotus enim quisq; est avarus, qui animum virilem habeat, qui viri officium faciat, cum pecunia, re levissima, trahatur, & expugnetur? De posteriori dubitari potest, quandoquidem multi sunt, qui, quanquam pecuniarum amore trahantur, corpore tamen vegeto sint atq; valente. quod argumentum Phaphorini adversus Siciam*

Salustium defendentem. Quod his distinguo hypoth. I. *Avarus aut talis est, qui eo, quod hinc inde rapit nõ fruitur, totus in rapina & custodia occupatus. qui Muretum juxta, libr. variar. lect. 16. cap. 16. semper avidus, semper hians, semper querulus, infuscatis erugine manibus, quod recondat quærit, non quo fruatur, paratus amicos, cognatos, parentes, patriam, nummis, si res ferat addicere. Aut qui cum hinc inde rapit, tamen in sese non æquè est, parcus, juxta Siciam, & aliis exercitiis occupatus.* II. *Ubi animus, non est hominis, ibi non modo corpus est effæminatum, sed & nec homo est.* Ad argumentum ergò respondit prior hypothesis, maximè enim effæminant ij corpus, qui nullis exercitiis alius trahuntur, nisi corrasione pecuniarum, ita ut ipsi careant, quod habent. Cum tantò pejores sint fœminis, quantò

pro-

propiores sunt brutis. Vide Gellium lib. 3. Noct. Att. cap. 1.

Ethicotheologica.

Quantò liberalitas caritati propior, tantò etiam magis commendatur à Christiana Ethica. quippe per quam dilectio exeritur, hæc autem, juxta Deum ab ipso Deo in secunda tabula commendatur. Pari quidem & hoc quodam modo: Sed dispari maximè fine. Sed dispari formâ. Vult enim Ethica mundana, ut libentèr, ut citò, ut dignis, ut dignè, ut modestè, ut mediocritèr demus, vult eadem & Christiana. Nesciat sinistra quid faciat dextera tua Matt. 6. v. 3. Hilarem namq; datorem diligit Deus. ne projiciatis margaritas ante porcas, quamvis hoc de officio sancto loquatur, tamen nec excludit reliqua Matt. 7. v. 6. Unde Hieronymus ad Paulinum. Considera ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, ne liberalitas liberalitate pereat. Et Augustinus: Donare res suas histrionibus,

vitium est immane, non virtus, super ea. Cum præstas Eleemosynam, ne tuba canatur ante te Matt. 6. v. 2. Rom. 12. v. 8. Sic dabitur, ne vobis sit angustia, aliis laxatio Paulus. Dominus enim non vult simul effundi opes, sed dispensari. Ambrosius super Epist. ad Corinth. Nec tamen vult mundana, ut inimicis, quod summè jubet Christiana: benefacite qui odio vos prosequuntur. Matt. 5. illa mereri vult honestatem: hæc inprimis declarare fidem & pietatem: celebrare dei benignitatem: amplificare dei gloriam. nihil promereri. quâvis in vita æterna præmiis declarabitur excellentissimis. Matt. 25. v. 35. Quantò autem maximè grata est Deo frugalitas & eleemosyna, tantò magis vitium ejus, avaritiam, execratur. Deut. 27. v. 17. Maledictus qui transfert terminos proximi sui, & omnis populus dicet amen. August. ad comitem: Avarus vir inferno est similis. Infernus n. quantoscunq; devoraverit, nunquâ dicit satis est: Sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum, nunquam sufficiet.

Disputatio undecima

EX LIB. IV. CAP. 3. 4. & 5. De Magnanimitate, Modestia & Mansuetudine.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

ad diem XIII. Septemb.

Respondente

JOACHIMO BRUNONE Sund. Pomerano.

THESIS I.

QUI, *in magnis quid deceat, docet, in parvis etiam quodammodo quid agendum fortè delineat, non autem contra, qui in parvis appetitum composuit, in magnis est compositus. Itaq; cum, in pecuniis quid deceat, prioribus ostensum sit, tanquam in bono parvo, jam quid in bonorum cupiditate, tanquam bono, inter externa, summo Aristot. edisserit.* Agens de Magnanimitate & modestia.

2. MAGNANIMITAS

Cap. III. μεγαλοψυχία, ergo, quæ Cic. altitudo, celsitudoq; animi, Lipsio constantia, Plinio animi sublimitas, sumitur, 1. p specie fortitudinis, quomodo à Cic. definitur virtus in suscipiendis gerendisq; rebus magnis, plenisq; laborum, & periculorum occupata. Patrit. virtus non in suscipiendis periculis animosa: sed perficiendis constans. 2. pro specie liberalitatis excellenti, quomodo ab Aristot. definitur: Virtus magnorum effectrix beneficiorum à Speusippo Magnificentia cum ratione, in quibus enim est major animus, in his pecuniæ cupiditas spectat ad opes & gratificandi Voluntatem Cic. 3. pro moderato rerum usu, & modestia in conversione, quomodo à Speusippo, moderatus eorum quæ obveniunt usus, & urbana cum hominibus conversatio, definitur 4. pro moderato honorum magnorum usu. Cujus Concluſ. I.

Symp. I. Magnanimitas non est nisi in magnis. I. q; ratione subjecti, si intelligatur, inhæsionis, addimus: & non nisi in eo, qui in rebus externis, quomodo-

modocunq; acciderit, didicit servare modum, *qualitèr de Julio Cæsare Plinius prædicat lib. 7. cap. 25. Quod verò & ratione subjecti operationis id verum sit, maximè ipsum nomen indicat.*

3e *Equidem cum parum interfit vel considerare habitum, vel eum qui habitu est præditus, is magnanimus videtur, qui cum magnis dignus sit, iisdem etiam se dignum putat, qui enim præter virtutem & dignitatem hoc fecerit, stolidus dicetur, non alitèr, qui parvis dignus dignum se iisdem putat,* σώφρων *modestus est, quemadmodum pulchritudo est in corpore magno, concinnitas in parvo. E contrario verò qui magnis se ipsum dignum existimat cum non sit,* χαῦνος *& stolidus, qui minoribus quam dignus est sive mediocribus, sive parvis, sive magnis dignus sit, cum solummodò minoribus se dignum putet, quàm dignus est,* μικρόψυχος. *quorum tamen majori in vitio, qui majoribus est dignus. Cum enim in his animum*

mum demittat, quæ maximè eum e..re debebant, quid ageret, cum his non esset dignus, cum esset dignus minoribus?

4. *Cum ergò non nisi ex virtute magna effectet, habet enim sese ut oportet, Magnanimus erit Magnitudine eximius, sublimitate extremus, dignitate tamen & officio mediocris.*

5. *At verò cum quod magnum est in quoq; bono sit unum, & dignitas ad bona externa dicatur,* inter bona externa

Symp. II. unum & summum est honor, *siquidem hunc summo tribuimus bono, Deo: hunc qui dignitate sunt eximij repetunt, hic excellentium factorum est præmium.* Circa hunc ergò versabitur magnanimus, & ejus oppositum ignominiam.

6. *Verùntamen circa hæc ita versatur.* 1. *ut moderatè, non nimis anxiè honores expetat.* 2. *nec quoslibet, sed magnos, vel etiam minores quos, cum virtuti perfectæ dignus non possit tribui honor*

& ipse

& ipsi, qui tribuũt, non habeant majores, quos offerant, tanquam proprios mediocritèr, & à bonis acceptet. Novit enim, quod Cic. est, eam esse jucundam laudem, quæ ab ijs proficiscitur, qui ipsi vixerunt in laude lib. 15. Epist. famil. Ep. 6. Parvos verò, & qui ab improbis & malis proveniunt, respuit & contemnit. Et demum, ut ignominiam magis quàm nihil faciat, quod hæc virtutem tollere non possit. Ut enim hæc scutum maximum est bonis, juxta Menandrum: altissimis defixa radicibus, nunquam potest labefactari, juxta Cic. in Cat. majo. nunquam potest eripi in Parad. ultimo. Sic etiam nec ullo honestamento eget, ipsa sui est magnum decus, juxta Senecam: nullam autoritatem habet, ubi qui damnatus est damnat, ignominia autem magis ad virtutem excitat, juxta Juli Cæs. lib. 6. de bello Gallico. Fabius Maximus cum per ludibrium Annibalis Pædagogus diceretur: Qui dicteria convitiaq; metuit, timidior mihi videtur, qui fugit hostem. nihil enim levius est dictis: Quæ qui formidat,

dat, quo pacto hostium sustinebit impetus. Sic Aristot. cum se convitiis lacessitum comperisset: Absentem, dixit, vel loris cædat. Seneca: si magnanimus es nunquam tibi judicabis contumeliam fieri.

7. Cum jam circa honores & ignominiam primariò sese rectè gerat, & circa res externas sic versabitur, ut animũ eundem in omni fortuna gerat, & prosperam & adversam fortunam moderatè sustinendo μάλιστα μὲν οὖν περὶ τιμὰς, ὃ μὲν ἀλλὰ καὶ περὶ εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν. Secundùm ergò non extollitur, neq; frangitur adversis. non metu frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, non tristibus mergitur iuxta Ambrosium, si ad paupertatem redigitur inter plures erit: Si exul, se natum putabit quo mittitur. Iuxta Senecam. Et juxta Horatium,

Rebus angustis animosus, atq;
Fortis apparet, sapientèr idem
Contrahit, vento nimiũ secũdo,
Turgida vela.

8. Id verò sic agit ut à nullo etiam virtu-

virtutis limite deflectat. quippe qui in omni virtutis genere est exercitatissimus. 3. moral. Eud. cap. 7. Neq; enim quod fortitudinis est. periculis quibusvis se committit, *ne videatur gaudere periculis, ut audax,* parva respuit, magna subit, *ut magnanimus, & tamen parcit vitæ, quod dignum vita se existimat. Seneca, sic eris magnanimus, si pericula non appetas, ut temerarius, nec formides ut timidus. Hæc enim mensura est magnimitatis, nec audacem esse, nec timidum. Magnanimiter ergò Agesilaus, quando quid gloriam pareret interrogaretur, respondit: Mortis contemptio. 2. quod temperantiæ, omnibus voluptatibus contemptis, in sola acquieſcit virtute. 3. promptus sempèr in dando, imò liberalis etiam cum sit, non vult beneficio affici, vult enim superare quod magnus est, non vult superari. itaq; etiam in reddendo beneficio operam navat, ut plus à se rependatur, Pontan. lib. 1. cap. 6. & 7. de magnan. idq; ex eo, ut amplius*

debeat

debeat qui prior dedit, & non collocarit, sed acceperit beneficium Aristot. ex quo etiam sui meminit beneficij, aliorum verò obliviscitur. respuit enim minor esse, futurus tamen, ubi beneficio vinceretur. Vnde & sua jucundè audit, aliorum verò in se non item: sic Thetis, cum peteret filio vindictam à Jove. & Lacedæmonij, cum à Thebanis victi, Duce Epaminonda auxilium ab Athenienſibus petiiſſent, non commemorant beneficia Jovi, Athenienſibus præſtita, ſed quibus erant affecti. & id eò animoſior quod nullo indiget. 4. quod manſuetudinis, non eſt vindicta cupidus, ſcitè enim magnum novit, quæ verba ſunt Senecæ de quatuor virtutibus, & honeſtum eſſe vindictæ genus, ignoſcere, & de inimico dicet, non nocuit mihi, ſed animum nocendi habuit, juxta eundem. 5. quod eſt humanitatis, in familiaribus congreſſibus apud magnos magnus, apud mediocres mediocris, quod hos facilè vincit, illos verò difficilè, quod inter hos gravitatem excercere eſt generoſum, inter illos importunum. fortis enim non eſt, ut inter imbe-

imbecilles robur suum exerat, sed inter robustos. 6. Quod est veritatis, non ab opinione aliorum dependet, sed totus stat à veritate, est ἀληθευτικὸς non κολακευτικὸς, veritatis amator, nõ adulator quod amicitiæ, non est odij dissimulator, atq; cum illo, apud Ennium, eo natus ingenio, ut amicitiam atq; inimicitiam in fronte promptam ferat. non n. videri vult, sed esse optimus, quod Salustius de Cat. in Oratio. Catilin. 7. Quod mansuetudinis, nullius injuriæ memor, non enim magnanimi est meminisse malorum, sed oblivisci. 8. Quod magnifici, magis honesta & decora, quam fructuosa appetit. 9. Quod conversationis. Vox in gravitate: incessus in tarditate: loquela in stabilitate est. Loca honorata ubi alii primas tenent non frequenter adit, nec etiam facilè cum imparibus decertat. Sic Alexand. cum tentarent ministri an olympiis certare vellet curriculo? Sane, si habiturus sim reges adversarios. Plutar. in apoph. Non est aliorum obtrectator, aut sui laudator. Sequi enim gloria, non appeti debet. Plinius. Cum ergò

in magnanimo sit, quod in virtute qualibet magnũ, spontè sua sequitur concluſ. III.

Symp. III. Magnanimus non est, nisi vir optimus, imò virtutum ornamentum. *non quidem quod illas majores faciat, sed quod sine illis esse non possit. Fœmina enim aureo amiculo indiget, eo tamen amicta conspicua magis videtur, cum illud per sese decoris parum haberet. Patritius lib. 7. tit. 8.* Quare etiam difficilè reperitur.

9. Equidem non negabitur virum magnanimum, si opes, facultatesq; habeat, cum virtute conjunctas, magis splendere, nisi tamen virtutem quis habeat, laudari sanè ob opes non poterit, ut virtuosus. Qui ergò sine virtute est opulentus, magnanimus nõ est. quod hac ostẽditur hypot. 1. Magnanimus agit ex virtute. 2. Justè se magnis dignum existimat. 3. Concinnè agit. 4. Si quem contemnit justè cõtemnit. Cum jam opulentus contemnat alios, quos videt

videt se magis excellere, interim tamen ipse agat, quodcunq; libuerit: inconcinnè agat in fortunæ prospero eventu: injustè magnis sesè dignum glorietur & habeat, nunquam magnanimus erit. Reipsa bonum fieri virum difficilè est, & manibus & pedibus quadrangularem, atq; ita perfectum, ut omni reprehensione careat: Simonides apud Platonem in Protagora Xeneph. Splendore generis inflari, propter divitias efferri, ex potentia superbire nulli fas est.

10. Equidem virtus hæc subjectum juxta etiam nomine variat. In Imperatore enim, qui officij, generis, virtutis, excellentia majestateq; est supremus dicitur majestas, in Principe Celsitudo, in Comitib. generositas, in nobile strenua nobilitas.

Extrema.

11. At verò cum nec omni modo liceat vel appetere, vel respuere honorem summum, Concl. IV. Videndum ne in honoris appetitione vel excedamus, vel deficiamus. Excessus enim dicitur χαυνότης, ὑπερφία, intole-

rabilis honoris magni tum appetitio, tùm jactatio, ut enim virtus consistit in honoris acceptione, & usu, sic etiam vitium, quæ cum sit conjuncta cum despectu aliorum, græcis dicitur ὑπερηφάνεια, Etl. Maurit. Hochmut mit verachtunge anderer. Si sit in potentioribus facilè ubit in Tyrannidem. Quid enim aliud Julianum ad Tyrannidem excitabat, quàm hoc vitium? quid Tyrannos reliquos trahit, nisi quod honore satis digno se affici non posse rebantur? exindè Turcæ vel vitam profundere coguntur, si Imperator velit, jubeatve. Hoc vitio qui laborat, tùm in se est injustus, tùm etiam stultus, quod aliis sese deridendum tradit. Seneca. Felix se erigendo felicitatem amittit. Eo vitio ita fuit capta Neronis mater, ut ipsa maluerit à filio vita privari, quàm ut filium privatum videret imperio. Cum enim ex Chaldæorum vaticinio dedicisset se filium quidem parituram, qui in Imperio sit successurus, sed matrem occisurus, gloriæ insatiabilis fœmina exclamavit: Occidat, occidat, modo imperet. Sic Julia-

nus

nus non potuit satiari, ut etiam Christi sanguine ferinam sedare vellet gloriæ cupidinem. Sedavit tandem, quando, sanguine, in prælio è vulnere manante, in altum projecto, exclamavit, vicisti, vicisti tandem Galilæe. In defectu est μικροψυχία, *animi mollities, pusillanimitas, eorum qui honoribus magnis se indignos putant, qui* 1. *in sese ipsos sunt injusti, non enim tribuunt sibi, quod viro bono debetur. animo namq; magno nihil debet esse magnum, juxta Senecam.* 2. *faciunt sese suspectos sceleris.* 3. *respuunt dona dei, imò negligunt.* 4. *ad torporem animum deducunt, & ad res gerendas magnas sese reddunt inutiles.*

12. *Jam cum honores aut, sint magni, de quibus actum est, aut parvi, de his etiam agendum erit. Vbi Concl. I.* Cap. IV. Symp. I.

Circa mediocres honores datur etiam mediocritas, ergò etiam virtus.

13. *Equidem pecuniæ magnæ habent magnificentiam virtutem, parvæ li-*

beralitatem, sic etiam honores magni, magnanimum volunt, mediocres, eum, qui, etsi caret nomine, tamẽ dici possit σώφρων modestus. quandoquidem & hîc sua reperiuntur extrema.

14. At verò vocabulum modestiæ Modestia. πολύσημον est. Significat enim 1. animum moderatè sese gerentem in rebus universis. 2. gestus moderatos in vita & sermone, unde Cic. offic. est in oratione mista modestiæ gravitas. 3. pro animo moderatè sese gerentem in honoribus, quomodo hoc loci sumitur & definitur. II.

Concl. II. Virtus in mediocribus honoribus tùm expetendis, tùm respuendis modum servans. quam vis etiam ab aliis trahatur ad compositam munditiem in vestibus, & ad humilitatem, qua se animus, quò est altior, maximè demittit.

15. Est hæc ea virtus, qua quis quod est, vult esse, non humiliora vult, nec altiora appetit: quæ pro Symbolo habet: altiora ne quæsieris: Sed tamen cogitat virtuti

tuti sua debere præmia, & sic meditatur. Tentanda via est, qua me quoq; possim tollere humo.

16. At hic quis obveniat, quæratq; cur nec duæ item virtutes temperantiæ & fortitudinis constitutæ sint ab Aristot. Cui sic obvenio: *Animus semper juxta objectum est temperandus. Cum ergò qui voluptates aut iram magnam devicerit, devicit etiam minores, satis erat una virtus. Cum verò contra qui in magnis expetendis facultatibus & honoribus est compositus, non continuò, sese rectè habeat in minoribus, imò nec in omnibus possint esse conjunctim, discernendæ erant, non conjungendæ illorum virtutes.*

17. *Habet ergò & hoc medium sua extrema, quorum 1. est* φιλοτιμία *in excessu. Cujus Conclusio* Ambitiosus est, qui honorem appetit & magis quàm oportet, & unde non oportet. *quo si quis laborat Ar-* Extrema Tranquillitatis.

lexander est, qui Jovis filium se appellari voluit, imo & esse. Seu, quod Curtij, non credi tantum, sed & dici. lib. 9. modesta contra ejus mater, quando rescribebat filio, adultera ergò ego, quæ cum Jove concubui. Tantum equidem ut à Bernardo dicatur subtile malum, secretum virus, pestis occulta, diaboli artifex, mater hypocriseos, livoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium. Cui non solum homines invident, sed & Deus, ut enim Laus vera humili sæpè contingit viro, juxta Senecam, ita juxta eundem, sequitur superbũ victor à tergo Deus juxta Claudianum: Magna repenteruũt, summa cadunt subitò: Frangit namq; Deus omne superbum. II. est in defectu ἀξιλοτιμία. *Honoris contemptus: cujus*

Concluſ. Honoris contemptus eſt, qui ne ob honeſta quidem vult honorari. *ut verò ille est erga alios injustus, ita hic erga se ipsum. ex quo etiam ut illum sequitur odium, ita hunc contemptus. ignavia enim parit contemptum,*

ptum, superbia odium.

18. Ad prius refert Eth. Maurit. ἀυοξίαν seu sordes in vestibus, eorum scilicet qui honorem merentur. quæ tamen sæpissimè cum summa ambitione conjuncta est. Propterea & eo deterior, quod occultior, & magis cum fuco. quod idem etiam proferimus de ijs, qui ambitionem dissimulant, simulant honoris contemptum.

19. Etsi autem in vitio sit utrumq; tamen non sunt sæpè sine laude quod sic distinguo. Potest quid laudari specie virtutis, quod tamen non est virtus. Etsi ergò vitia non possint fieri virtutes, tamen virtutis speciem quandoq; induunt, ex quo etiam non ut virtus, sed tamen sub virtutis specie laudantur. Sic Anisthenes vestibus laceratis introiens à vulgo laudabatur, ut modestus, à Socrate verò reprehendebatur ut ambitiosus. nonne, inquit hic, desinis te nobis comere. Erasmus in Apoph. lib. 8.

20. Quærat hic quispiam an non re-

ctè dixerit Fabius M. apud Livium: Gloriam qui spreverit veram habebit? quod sic distingue: Gloria aut est vana & inanis, aut vera & virtutis præmium. Quod si ergò inanem gloriam intelligit, rectè loquitur, non enim gloria hæc est, sed dedecus. non rectè, sin minus. ad veram enim gloriam ut natura incendimur, sic Juvenes magna spectare debent, & ad ea rectis studiis contendere. Cic.

Mansuetudo- Cap. V. Symp. I.

21. MANSVETVDO sequitur, cujus Conclusio I. πραότης est mediocritas circa iram, ἡ μεσότης περὶ ὀργὰς. quum dicta sit lib. 2. Rhet. cap. 3. definitio, qua orator animum auditoris ira turbatum tranquillet.

22. Non solum ergò circa iram versabitur, sed circa ea, quæ iram concitant, quorum principale est contemptus, cujus species 1. καταφρόνησις, quæ fit sine ullo contemptu, ut non salutari à prætereunte, prætereunti fenestras claudere. 2. molestia, quæ est cum impedimento in officio, sive id os-

sive id occupatum fuerit in studiis, sive in opere alio, interturbari. 4. *Ubi est injuria cum dedecore. ubi pertinet oris distractio, digitorum concussio, & erectio* ein Knipf-schlagen/vnd Ehsels Ohren auffrichten. *Plutarchus lib. de ira cohibenda: Dicterium, jocus, risus, nutus multis causa fuerunt iræ.*

23. *Tantò hæc virtus major, quanto circa affectum versatur fortiorem, in iram enim omnes affectus confluunt, & sicuti semen mixtura, atq; temperatura ab omnibus avulsa est facultatibus: ita omnium animi perturbationum semina in iram videntur confluxisse Plutarchus ex Zenone in lib. de ira cohibenda. cui soli nihil intactum nihil in accessum est ibid. unde Ambrosio modò dicitur animæ piæ character, modò cordis animiq; medicus. Ex quo etiam non aliter ac medicus juxta artem, sic hæc etiam juxta virtutem aget, unde conclud. II.* In irascendo medium servari oportet. Symp. 8. *Deus qui irascitur non in totum prohibet iram, quia*

quia hic effectus necessario datus est Lact. de ira Dei.

24. *At verò etiamsi medium hoc definire sit difficilius, in singularibus namq; & sensu futurum erit judicium, tamen non aberrabitur longius.* *Si I.* Ob res graves iraſcamur, leves contemnamus. *II.* Non mari ac montibus, ſicuti Xerxes, *qui diſſoluto à maris fluctibus ponte Helleſpontum cædi juſſit; nec canibus latrantibus, aut aſino impingenti in latus.* *Sicuti teſte Plutarcho eod. lib. Cit. is qui agaſonem volens ferire, hoc exclamante Athenienſis ſum, ad aſinum converſus, tu verò Athenienſis non es, multis verberibus beſtiam obruit: nec imprudentèr lapſis, & culpam deprecantibus, quo nomine in primis laudatur Marcus Cato. hic enim cum in balneo percuſſus eſſet, deprecanti poſtea inquit, non memini me percuſſum eſſe.* *Juxta quod etiam Ageſilaus: innocentem punire ſcelus eſt, culpam interdum condonare in gratiam honeſti*

depre-

deprecatoris humanitas est. Sed malis atq́ improbis. August. quæ æquanimitèr erga te ferri non possunt, hæc omnino patientèr ferre peccatum est, de conflict. virt. & vitiorum. Sed ita ut vitijs irascamur, non hominibus. In hæc enim parte medicos imitari decet, quemadmodum monebat Dæmonax: qui non indignantur ægrotis, sed medentur morbo, hominis enim dicebat esse peccare, Dei verò aut hominis Deo proximi emendare pecata. III. Si juxta æquitatem. *Cavendum n. 1. ne ab affectu aliquo vehementiori abripiamur, aut primo fervore quid agamus. qua parte audiendus Athenodorus Philosophus: Cum iratus es, ne quid dixeris, feceris ve priusquam literas quatuor & viginti, apud te recensueris. quem optimè vel secutus, vel vicit Archytas Tarentinus, cum servo gravitèr delinquenti succenseret: Punirem nunc te, nisi iratus essem, inquiens. quod tamen dictum Plutarchus Charillo adscribit in apopht. 2. ne simus nimium cupidi vindictæ. 3. ne iram delicto graviorem geramus. priori*

parte

parte Claudius Cæsar sese excusat, secundam & tertiam in se prædicat. quando tùm ex ira, tùm ex iracundia multa sè committere animadverteret, polliceor, edicto proclamans, alteram perbrevem, & innoxiam futuram, alteram verò non injustam. Patrit. lib. 4. de Regno & Regis instit. tit. 10. 4. ad ignoscendum simus faciles & procliviores. *IV.* Si nec in rebus serijs, nec in jocosis, seu nec in conversationibus, nec in colloquijs, nec in disputationibus, ubi plus potest, quam rationes mille, nec in judicijs, nec in rebus prosperis, nec in adversis. *V.* Si nec ultra modum. Immoderatior enim & diuturnior infamiam gignit. Quæ ubi observasset Eurilochus, Pyrrhonis discipulus, nunquam sumpto veru, cum carnibus semiassis, in forum usq; coquum prosecutus fuisset. Patrit. cit. loco.

25. Vicina huic virtuti est misericordia. Prima tamen, si in Principe sit, aut magistratu gladium gerente alio, dicitur Clemẽtia. Clementia. Mauriti. Ethi. Sic eorum propria, ut juxta Senecam neminem præ-

ter eos magis deceat. quæ juxta eundem est virtus, quæ alieno sanguini tanquam suo parcit, & scit homine non esse prodigè utendum, ad Neronem. Vnde etiam eidem differet à priori, quod ut illa iram, sic hæc pœnam moderetur. unde lib. de Clement. eam definit lenitatem superioris adversus inferiores in constituendis pœnis: Thomæ verò, quod cujuslibet illa sit ad quemlibet: hæc superioris ad inferiorem. qua sic Scipio major præditus fuit, ut & hosti non dandam modò viam diceret ad fugiendum, sed & muniendam. Ita superavit Artaxerxes, ut ducibus delinquentibus, pro eo, quod flagris cædi solebant corpora, vestes exutas jussit cædi. Ita demum præcelluit Sabacus Rex Ægyptiorum, ut etiam damnatos capite catenis ligatos, vita donata, ad opera publica miserit.

26. At verò cum omne medium suæ habeat extrema, Concl. III. & mansuetudo sua habet. quorum alterum in excessu dicitur ὀργιλότης iracundia in Symp. III.

defectu

defectu ἀοργησία *iræ vacuitas, Cic. Lentitudo, segnities.*

27. *Qui in defectu peccant tùm* ἠλίθιοι *dicuntur stolidi, quod tanquam lapis nullo injuriarum sensu tangantur: tùm serviles, quandoquidem ad injuriam veram, quæ morte acerbior connivent, famamq; suam quasi prostituunt, Hinc factum est, ut Ephori constituerent panas in eos, qui multis injuriis essent affecti. ignavia enim hoc videbatur, cum qui veterem injuriam perfert, novam invitat. tum inutiles ad res namque agendas sese ipsos reddunt inutiles, quod sine hac nec corporis vires excitantur, nec animus acuitur, nec deniq; quicquam expugnatur. unde & à Platone rectè dicta est nervus animi, cujus intentione & laxatione impetus gubernantur.*

28. *Qui in excessu peccant varij sunt alij enim iram facilè colligunt, & modico post tempore desistunt, qui cum sint summa bile, dicuntur* ἀκρόχολοι *excandescentes,* dem die Laus bald vber die Leber leufft/ *qualis fuit Claudius Cæsar. Alij*

occu-

occultum tamdiu alunt virus, usq; donec idem vel decoctum fuerit, græcè πικροὶ, vel evomitum. quo sic laboravit Cato junior, ut, quamvis tardus ad iram, tamen commotus implacabilis, inexorabilisq; videretur, Patric. lib. citat. Alij sic asperi, ut placari alitèr non possint, nisi se vindicarint. græcè βαρύθυμοι. ubi rectè dicitur: furor, iraq; mentem præcipitant. Hoc vitio sic exarsit Periander Corinthius, ut uxorem uterum gerentem, pedibus manibusq; convulsam interemerit: filium, matris mortem dolentem, in Corcyram relegarit: mentis post compos redditus, ubi comperit, se ex calumnia pellicum persuasum, eas omnes igni comburendas jusserit.

29. *Ex quibus deniq; Conclud. IV.*

Vitium in excessu deterius quod in defectu. *tùm quod est peccatum frequentius, tùm quia magis incommodat vitæ communi.*

Magna est virtus, si non lædas à quo læsus es:

Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas.

Magna est gloria, si, cui potuisti nocere, parcas.

Isidorus soliloquiorum lib. 2.

30. *Coronidis loco quærimus. I. Quid* per manus porrectionem de-
Manuum porrectio. signare velimus? *Ubi equidem, cum dextram non sinistram porrigamus, per dextram quid significare voluerint veteres inquirendum erat. Et si ad sacras recurrimus paginas, ipse Deus, qui tamen est sine omni materia, sibi dextram tribuit, per eam indicando vel summam suam potentiam. in dextra enim fortitudo est. vel signum felicitatis, ut per sinistram comminatur infelicitatem, uti etiam ad dextram positurus est fideles, & beatos, infideles verò & damnatos ad sinistram. Hinc etiam legimus in Genes. 49. cap. Jacobum manum dextram imposuisse capiti Ephraim, sinistram Manasse dicens, ille quidem erit in populum & multiplicabitur, sed frater ejus minor*

major

major erit illo, Camerarius part. 2. operar. Subcisiv. cap. 46. Josephus verò lib. 18. cap. 12. fidei signum veræ dicit apud veteres fuisse dextram, quod hac porrecta nec fallere fas fuerit, nec etiam diffidere. Hac ergò ratione ut fortitudinem nostram declaremus, manus non præbetur, præbetur tamen, ut vel alteri gratulemur de felicitate, vel de prosperis futuris benè precemur, vel etiam fidem nostram polliceamur. Sed tamen ut personæ, sic etiam manuum porrectio variat. Non enim cuiq; juxta Pythagorum dextra porrigenda. Principes ergò si minoribus manus porrigunt, Clementiam spondent, fidem, opemq;. Qua ratione statuas eorum porrectâ plerumq; conspicimus manu: Sin paribus, honorem deferunt, fidemq; pollicentur, quod omnis virtus, cui in soli debetur honos, & fides & dextra consistit. Pari etiam ratione si minor minori, par pari porrigat dextram, vel honorem ei offeret, vel fidem pollicebitur & amicitiam, quod ut palmæ absq; omni difficultate conjunguntur, sic etiam

animi futuri sint, sine ullo discrimine conjunctissimi. ut contra dextræ denegatio signum est simultatis, & odii acerrimi. Vide Camerarium in operar. subcis. parte 1. cap. 35. II. An turpe sit, in salutandis honestis hominibus, manus ad os movere? Quod si ita est, vel à natura erit prohibitum: vel jure gentium inhibitum: vel jure civili interdictum: vel lege aliqua præscripta condemnatum. Quod cum non sit, sed consuetudine ut introductum, sic etiam à summis viris, ipsis præsertim Principibus, non solum permissum, sed & observatum, consuetudini, cui, si tolerabilis sit, nec princeps contradicet, nec nos contradicemus, nec de honore suo cuiquam derogabimus. hoc modo excepto, non ut tanquam necessarium & morale requiratur, sed ut ceremoniale & ἀδιάφορον, vel repetatur, vel exhibeatur. III. Qualis consuetudo eorum habenda, qui osculo amorem suum contestari solent? Oscula equidem amoris contestatio

ſtatio eò magis videbantur, cum ad os manuum elevatio honoris ſit demonſtratio. Præſertim cum non modo apud Vetuſtiores fuerint conceſſa, quod teſtatur Plutarchus in Quæſt. Roman. in lib. de virtut. mulierum: in Romulo, ſed & oblata, & honeſta apud viros ſacros Gen. 29. v. 11. Sed tamen & hîc ratio habenda, tùm perſonarum, tùm partium corporis quibus exhibentur. Monarchæ ergò & Principes ubi ſi conteſtandi amoris, & virtutis cauſa ſeſe oſculantur, non erunt increpandi. Privatæ autem perſonæ ſi conſanguineos, ſine amore impudico, & hoc concedendum. quod hujus ratione tùm Romani, tùm etjam vetuſtas ſacra, oſcula admiſerunt, & ſic, ut ne amicis fuerit iis interdictum, quod patet ex oſculo judæ Matt. 26. At ergò licet oſculari alterius uxorem? interdicunt Dd. ita ut etiam ea mulier pro adultera habeatur, & dotem amittat. cap. nec aliqua 27. q. 1. habentur enim ſive per vim, ſive abſq; vi fiant, hoc loci præludia, & præparatoria adulterij. Quid ergò de puellarum? Etſi non omnia hæc ſint

impudica tamen consultius ab ijsdem abstinere. non enim carent suspicione affectus sinistri. Quid jam de iis qui pedes aliorum osculantur? Qui osculum tale admittunt, discent quod petit Maximinus; Di prohibete, ut quisquam ingenuorum pedes meos osculetur. qui præbent ejusmodi Diogenem audiant, qui Aristipp. canē dicebat, reginm quod Dyonisij pedes osculabatur. Lycost. in apoph. Etsi osculari principum dextras non alienum fuerit Romanis, ut ostenderent se per easdem conservatos propugnatosq; esse, Camerarius sup. cit. loco.

Ethicotheologica.

I. Vt quisq; sibi servit, sic etiam gloriæ suæ plurimus inservit, nihil curans, quid debeatur ei, qui supra est. Omnes de suo honore soliciti sunt: de honore autem Dei nullus. Chrysost.

II. Vt cuiq; magist. timor, ita etiā honor dignus debetur ꝓver. 24. Dign⁹ n. videtur qui est scientia p̄ditus, ut reddatur honore reverendus. Nec a. respicimus, num digni sint, cū ijsdem honoris magnitudo stimulus incipiat pænarū. Chrysost. super Matt.

Sed ita, ne plus Regi quam Deo, πείσομαι τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν *Socrat. ap. Plat. III. Itaq; cum Dij hominibus sint Psalmo 28. Ego dixi, vos dij estis, & filij Excelsi omnes: Principes, nec quod diabolorum est, crudeliter serviant, sed Clementiam ubivis exercebunt. imitati hac in parte Xenocratem, Quum enim huic passer, quem accipiter insequebatur, in sinum involasset, avem humaniter defendit dicens: non oportet supplicem prodere Lycosth. ex Guidon. Bituricensi. Cic. 2. offic: Est boni magistratus commoda civium defendere, non divellere, atq; omnes æquitate eadem continere. Justis-justi, malis hostes. Euripides.*

Ego enim illum, qui, injustitia infamis,
Ad aram assidet, lege neglecta,
Adducerem ad pœnam dãdum,
nihil metuens Deos.
Nam virũ malum semper malè affici convenit.

Disputatio decima secunda

EX LIB. IV. CAP. 6. 7. 8. & 9. virtutibus homiliticis & verecundia.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

ad diem XXX. Septemb.

Respondente

NICOLAO ESCHILLO

Phyrlander Sueco.

THESIS I.

AD conversationem civilis vitæ studiosus deducendus, ubi, cum in serio tandem languescere possit, reficiendus etiam suavitate, sed ita tamen, ut ne, cum suavia tractat, a veritate abeat.

2. *Tres ergò ad conversationẽ vocandæ quasi Charites. quarum prima in suavi serio occupata, comitas: tertia in jocoso urbanitas: media, cujus officium erit utramq; dirigere, Veracitas.*

3. Pri-

3, *Prioris ergò Concusio. I. est.* Cap. VI. Sym. I. Comitas est vittus, quæ in sermonibus & actionibus quotidianis neminem offendit, sed singula, ut oportet, admittit, aliquando etiam respuit. *Quæ simul etiam parit.* *II.* Comitas non est Sym. II. amicitia. *etiamsi sit similis amicit. quod hac hypoththeſ. manifestum est. Amicitia. 1. est cum affectu. 2. est erga notos, & paucos. Cũ verò comitas sit erga notos & ignotos, familiares & non familiares amicitiæ species vera non erit, quamvis, si adsumpserit id, quod in diligendo est, in amcitiam degeneret.*

4. *Cum jam Comis, qui græcis est* ἀνώνυμος, *latinis præterea, dicatur familiaris, affabilis, popularis, facilis, humanus, conversetur eum hominibus habita ratione honestatis. 1. delectabit. quod equidem fieri pulchrius poterat, ubi dicantur quæ sunt jucundissima, præstentur*

quæ utilissima. quomodo respondebat Alcibiades in Apoph. Platonis. 2. non omnia, ut nec omnium dicta factaq; approbat. rectè enim facta probare honestum novit, mala verò laudibus evehere adulterini animi esse, & impostoris, Stobæus ex Democrito, Serm. 12. Sed de noxijs amicè modesteq; monet, idq; seorsim. Hinc Socrates acerbè quempiam objurgans familiarem admonenti, satius fuisse seorsim objurgare, regerebat, rectius & tu egisses, hæc mihi quando seorsim dixisses. 3. Cuiq; juxta dignitatem in conversando tribuit. 4. Nec præsentis modo habet rationem voluptatis & molestiæ: sed etiã subsecuturæ. qua ratione laudatur Comicus Philippides à Lysimacho, quod sine fallacijs, sine fuco omnia ex libera animi sententia loquebatur. Patrit. tit. 2. lib. 4. de Regno & Regis Inst. Ex quibus colligitur Concl.

Symp. III. III. Comitas & sua habet extrema.

5. Equidem. Alij præter modum, rationemq; placere studeant cum quo conver-

versantur, qui omnia ad voluptatem laudant, nunquam oportere molestos esse cum quibus conversantur opinantes, & dicũtur ἀρεσκοι: Alij nemini placere studẽt, ne quidem in honestis vel dictis vel actionibus, sed omnia improbant, suggillantq;.

6. Prioris ordinis est Adolescens ille, qui Socratem, magna Athenienſium concione, blando præconio efferebat: Ipsi Athenienses, à moribus antiquis digressi, Cum in Demetrij placitum promulgarent: Quodcunq; Demetrius Rex jubet, id apnd Deos sanctum, & apud homines justum esto: Prusias Bithiniæ Rex, qui, quod à Macedonienſibus per Romanos liberatus erat, libertum se dicebat Romanorum. Ex quo & merito à Socrate adolescens audiit: Mendax est hic adolescens, & artificioso sermone blanditur. Erasmus in Apopht. Prusias à Romanis, tanquam manifestus assentator publicè proclamatus est. Patrit. lib. 4. tit. 2. de Regno & Regis instit.

7. Etsi hoc vitium affinitatem habet cum Adulatione, tamen non est idem, Adulatio & apentat. diff.

quod

quod sic ostenditur. *Adulatores* κόλακες *quicquid agunt eo dirigunt, ut in commodum sui vergat, Si enim, inquit Aristippus, qui Dionysio pedes exosculari solitus fuit, culpam in Dionysium referens, quod aures in pedibus haberet, à Diogene increpatus, Diogenes uti Regibus sciret, non vesceretur indies crudis oleribus. Cum jam Assentatores tantum jucunditatem spectent, nec vitia eudem erunt.*

2. *Verum tantò habent majorem affinitatem, quantò citius ex assentatione fit adulatio, assentator vix quisquam sit, qui non simul sit adulator. à quibus ut sibi maximè caveant Principes Isocrates monet, quando Regem suum instruit, ut omnes eos evitet, qui, quodcunq; dixerit, laudarint: illos autem audiat, qui errata placidè & sine contumelia non solum indicent, sed etiam castigent: Agesilaus, quando aspernandos eos dicit, tanquam propriæ vitæ insidiatores: Et Cato major tanquam teterrimos Reipublicæ hostes;*

ſtes, & bonorum omnium inſectatores, unde etiam à priſcis Athenienſibus capitali ſupplicio ſunt affecti, quamvis poſt, degenerantibus ſtatutis, degenerarint mores, ita ut Græci adulandi fuerint dicti artifices. Patric.

9. *Poſterioris v. notatur Cælius Orator, qui ebrius aliquando factus, nec clientem, ſibi adſentientem, ferre potuit: ſed dixit: Dic aliquid contrà, ut duo ſimus. Seneca lib. 3. de ira c. 3. Timon, qui in ſolitudine riſit, in converſatione mæſtus, ita familiaritatem conſuetudinemq; exoſus, ut & mortuus mortuis adeſſe reſpueret. Sepulcrum enim ſuum poſt ſtrequi lini-um fieri voluit, hiſce inſcriptis verſiculis:*

Hîc ſum poſt vitam miſeram, inopemq; ſepultus.
Nomen non quæras, dij te lector male perdant.

10. *Quærat hoc loco quiſpiam*, an virum Principem deceat comitas? *ubi ut de Principe loquatur Imperator*

rator, Trajanus respondeto. Hic amicis incusantibus, quod parum majestatis memor imperatoriæ, nimis versaretur familiariter cum alijs: Talem, inquit, præstabo imperatorem privatus, qualem ipse optarem privatus. Erasmus in apopht. lib. 8. apopht. 10. Mirè civilis fuit Hadrianus Imperator in colloquiis humilimorum. Detestabatur ergò qui humanitatis hanc voluptatem ipsi invidebant, hoc prætextu, quod dicerent, Principis majestatem ubiq; servandam. Conrad. Lycosth. in apopht. Quanquam & hoc addendum Principem semper tueri suam dignitatem, quod Cic. de Quint: Max. in Cat. major. Erat in illo viro comitate condita gravitas: & tamen esse popularem in accessu inferiorum ad se, quæ virtus alias facilitas: & affabilem in colloquiis. Ex quo etiam cum clementia, & studio juvandi semper erit tonjuncta.

Veritas. 11. Sequitur veritas, quæ, quod juxta Menandrum cæli civis est, & sola

Cap. VII. fruitur convictu Deorum, juxta Platonem de legg. bonorum omnium potissimum

Diis,

Diis, Demosth. quod simul & Pythagoræ adscribitur, hominem similimum Deo facit, nunquam à cogitationibus nostris recedere debet, ut monet Seneca de formula vitæ.

12. *Est hæc duplex, theoretica & practica. Theoretica, quæ & logica dicitur, est, quando mens, conceptis mentis, & oratio convenit cum ipsis rebus, de qua rectè dicitur, veritas quo magis premitur, eò magis emergit. Practica quæ & moralis, & hujus tantum loci Cujus Concl.* Veritas duplex.

I. Veritas practica est virtus, quæ rem pronunciat uti existimat, ita ut sermo conveniat cum mentis voluntatisq; sententia. *alias dicta candor, integritas, syncritas.* Symp. I.

13. *Hæc, quod in lucem aliquando prodit non quæsita, quod Menandri est, græcis dicitur ἀλήθεια, à privativa particula ἀ, & λαθῆν non latere. quod nunquàm lateat, unde etiam concluſ. II.*

Veritas versatur circa τὸ ἀληθές. Symp. II.

circa

circa ipsum verum. Per verum autem intelligitur, non solum dictorum, aut factorum, siquidem non his solum, sed & externis motibus animi exprimitur sententia.

14. Verum cum Socrates hanc eandem dixerit cum virtute, fortassis quod nullæ res duæ inter se tàm amicæ & concordes sint, quàm virtus & veritas, nempè germanæ à Deo genitæ, & humanis mentibus sicut ultissimæ, & sic etiam integris jucundissimæ, Vives in satellit. Concl. Symp. III.

IV. Verax secundum virtutem agit.

15. Ita, probus est & æquus ἐπιεικὴς, duobus namq; amicis existentibus dicit, amicus Plato, amicus Socrates, magis tamen amica veritas. Ingenui enim viri novit ex Pindaro esse vera dicere. 2. Nihil rebus addet, nec etiam detrahet. Veritati namq; omnia consonant, & ita, ut eidem contingat, quod cytharæ, ubi fides dissonantes harmoniam pervertunt, ita etiam hîc perverti omnia uno dissonante ser-

sermone. idq; nullius ratione habita lucri, sed tantum veritatis, sicut enim quæq; natura est præstantior, ita amantissima est veritatis, & infestissima simulationibus. Plautus in Mostell. Nolo ego te assentari mihi, mendacem odi. 3. semper sibi constans, seu ut Aristot. habet, verus τῷ βίῳ καὶ τῷ λόγῳ tũ vita, tùm sermone, quod pulcram esse oris, & cordis novit concordiam. qualem se prædicat Achilles apud Homerum.

Odi equidē, ceu claustra Erebi, quicunq; loquuntur,
Ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore condunt.

Cujus exemplo Isocrates etiam Regem suum monet, ut veritatem ante omnia colat, idq; indissimulatè, & sic, ut singuli animadvertant, injurato potius Regi, quàm privatis omnibus juratis fidem adhibendam, Patrit. lib. 4. tit. 1. de Regno & Regis instit. 4. Sua potius extenuat, quam amplificat. Modestus modestè loquitur, justus, præter suum, nil

sibi arrogat. Ex quibus concluditur. IV. Ergò & sua hoc medium habebit extrema.

16. *Sunt hæc, aut generale: aut specialia. Illud; mendacium omne, ubi vel plus, vel minus dicitur, quam oportebat, specialia: in excessu* ἀλαζονέια, *cujus Conclus.* Jactantia. *Cic. Tusc. 4. lætitia gestiens, se insolentius efferens,* est vitium, cum quis ea quæ non habet simulat, aut ea quæ habet, majora, quam sunt, venditat. *Idq; fit vel sola vanitate, ita ut nihil inde speretur: vel ratione lucri, ut gloriæ, honoris, pecuniæ. quo si quis laborat deterior erit, quam qui illo, etiã si gloriâ sit dignus. Virtus enim sola conscientiâ rectè factorum contenta esse debet, cum is, qui sua facinora præclara jactitat, non virtutis amore se agisse ostendat, sed aviditate gloriæ, Patrit lib. 4. tit. 18. In defectu* εἰρωνέια ἀπὸ τοῦ ἀρνέοντος τὰ ὑπάρχοντα, *à negante ea quæ possidet, cujus Conclus.* Dissimulantia est vitium quando

do ea negamus, quæ nostra sunt. *Sive norint omnes, sive ignorent, quæ nobis adsint. Qui, quæ omnes norint, dissimulat, vult laudari: qui ea, quæ omnes ignorant, Vitare cupit arrogantiam, ex quo, & melior illo. Arrogans autem pejor est dissumulanti, quod dum plus sibi tribuit, quam oportebat, injustus & conversationi redditur inutilis.*

17. *Verum enimverò ut illis in nos peccatur, ita sunt alia, quibus in alios.* κολακία *nimirum &* διαβολή, Assentatio, *seu falsa, & immodica alterius prædicatio. de qua Plato in Ll. Id unum præcipuè omnes eniti oportet, ne unquam fucati, aut synceri erga ullum esse videantur, sed ut semper simplices sint, ac veraces: quod vitium turpe, illi qui dicit, pernicioſius qui audit dicebat Vives.* Calumnia *verò seu detrectatio, quæ id, quod ex virtute quis possidet, detrectat, quo gravius nullum dicebat Hippias, ex quo nec pœnam ei esse constitutam, quod cum fures pecuniam, rem vilem, calumniatores amicitiam, quæ donum inter humana optimum,*

Eth. Maurit. Vitia vicina.

furentur. Quomodo autem Apelles Antiphilum calumniatorem suum depinxerit, vide Lucianum in lib. de non facile credendo Calumniæ: & Patritium lib. 4. tit. 5. Utrumq; à mensa sua removit Augustinus his versiculis supra scriptis:

Quisquis amat dictis absentis rodere vitam,
Hanc mensam veritam noverit esse sibi.

An falsa oratio possit esse vera.

18. Quærimus. I. utrum etiam falsa oratio possit esse vera? quod ubi affirmo, sic distinguo. I. Logica veritas, quæ in animo est, distinguenda maximè à veritate Ethica, quæ tùm in animo tùm in ore & lingua. II. Etsi quis mentiatur, nisi tamen volens id faciat, excusandus. Volens autem dico, nisi ex animi perversitate, aut incuriâ mentiatur. Quod si ergò opponitur Mendacium semper esse mendacium? atq; ita falsam orationem non nisi falsam esse: Respondeo, Etsi primum con-

concedi poterat, quod tamen posse distinguetur, moraliter, tamen logicè semper verum non erit. Non enim, juxta Scaligerum, Exerc. 307. sect. 9. falsa dicit, qui se vera putat dicere. quemadmodum si quis cœlum opinetur stare, terram volvi circum, sed is, qui cum non opinetur idem, tamen affirmet, juxta namq; Menandrũ ἡ γλῶσσα ἁμαρτάνουσα τἀληθῆ λέγει lingua aberrans vera dicit. Et juxta August. in Enchir. qui contra id, quod animo sentit, loquitur, voluntate fallendi loquitur. Si quod stultus sit, cui mendacium involuntarium amicum, cui voluntarium infidelis. Plato de. ll. Manifestæ enim turpitudinis est mentiri: temeræ levitatis mendacium dicere: Alterum perfidiæ atq; iniquitatis crimen ostendit, alterum verò ignavæ incredulitatis? Patrit. lib. 4. c. 10. Secunda hypota. succurrit. quippe ignava incredulitas incuriam ostendit, voluntarium a. mendaciũ injuriam, & fallẽdi perversitatem ψεύσης, ὁ μὲν τῷ ψεύδεσθαι αὐτῷ χάριν. quæ utraq; ut sunt in vitio, sic nunquam excusanda. ad quæ etiam as-

sumenda hypoth. III. Aliud est mendacium dicere aliud mentiri,

An liceat mentiri.

19. Si jam non omne mendaciũ est mendacium, sequitur etiam. II. aliquando licet mentiri? quod idẽ approbo ex omni hominum genere consensu: ex utilitate: ex necessitate. Salomon judicium sedens mentitur se filium, de quo altercabantur mulieres, divisurũ binas in partes, ut, quæ mater vera, exploraret. 3. Regum cap. 3. Judith. mentitur se fugisse revelatum hosti arcana suorum cap. 10. quomodo etiam est prudentia, & sic idem à sacris concessum, ut etiam à lege interdum liceat recedere. Quamvis enim occidere sit prohibitum, tamen non omni nec omni tempore est prohibitum. Dolo bono uti licet. I. C. T. I. Hinc medici, curaturi rebellem, morbum graviorem mentiuntur: timidiorem; periculosum levem. quos imitati politici, & bellatores potissimum, militibus timidis hostem depingunt languidiorem: hostem ut vincant, etiam Imperatores prudentissimi copiam majorem simulant, mentiuntur quandoq; fugam, ex quo Pla-

to:

to: mentiri, decipere, lædere, offendere injustum est, hostes autem offendere, item per fraudes decipere non injustum. Et Herodotus, ſicubi etiam mendacium dici opus eſt, dicatur. quippe quod ſæpè idem prodeſt, ſæpè neceſſarium, quod ſuperiora ſacra demonſtrarunt.

20. Contrariis ſic obvenio. I. quod malum eſt per ſe, eo tum demum rectè uti non poſſumus, cum ſemper eſt malum, & omnibus. II. Mendacium pernicioſum diſtinguendum eſt ab officioſo, & neceſſario. Quod ſi jam opponitur: Quod per ſe malum eſt, non poteſt fieri bonum? id tùm demum verum erit, cum ita eſt comparatum, ut ſemper tale ſit. Concedo ergò, ubi mendacium intelligitur, quod vel eſt contra ſalutem communem, vel contra Dei gloriam. Sin verò ſit pro Dei gloria, & vel publicam, vel privatam concernat ſalutem minimè. Si quod loqui non liceat falſum teſtimonium? addas

contra proximum, & perniciosum habes, non officiosum. Si quod adulterari non liceat, ergò nec mentiri? dissimilis ratio est, quod illud tùm per se est malum, tùm omni tempore, & omnibus perniciosum; hoc etsi per se malum, tamen multis temporibus, & multis utilissimum. Ergò quærat quispiam, licet ne pejerare, aut Deo, mentiri? Nego, quod hoc per se, & semper malum, nec Deo utile: Nunquid enim Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos: Iobi. 13. v. 7. Si verò quem nomen terreat; pro mentiri dicat occultare veritatem.

Cap. VIII. 21. *Etsi veritatis amor cuiq; debeat esse vita & salus, qua ratione ipsi mediam ab Christ. in conversatione tributam sedem dixi, ut utraq; manu utrumq; jucundum comprehendat, tamen, cum odium pariat, juxta Comicum, joco aspersa, sine invidia aptissimè aperitur, ubi maximè va-*

Urbanitas *let* URBANITAS, *ab urbe, quandoquidem plus habere solent humanitatis, qui in urbe vivunt. quæ Græcis modo dicitur* εὐτραπελία, εὐτροπία, *quod ejus*

posses-

possessores sint, εὐτρεπεῖς *sese verere possint quo velint, seu* ἀπὸ τῆς εὐτραπελίας τὸν λόγον: *modo* εὐτραπελίᾳ *à dexteritate, qua ratione dicta ab alijs ornamentum veritatis.*

22. *Quærat autem quispiàm:* AN *sit virtus?* An virtus. *Affirmo. 1. quod sua habet extrema. 2. quod nulla vitæ pars sine officio, ut loquitur Cic. lib. 1. offic. 3. & quod ornamentum veritatis. Contraria his tollo hypoth. I. Virtus non solum circa seria est occupata, sed etiam circa jocosa. Vir enim bonus nullibi officio carere cum possit, acceptiorem quoq́, & gratiorem sese componet aliis: si, quæ molestiora occurrent, jucunditate temperabit, & animum ad officia sustinenda reddet alacriorem. Piccolom. grad. 4. cap. 29.* ἀνάπαυσις *seu recreatio in vita requiritur, quæ est* διαγωγὴ μετὰ παιδιᾶς. *Arist. II. Non continuò quod uni magis inesse videtur, quam alteri, à natura inest, sic enim omnes artes & disciplinæ à na-*

tura ineſſent. III. Virtus non ſolum verſatur in honeſto, ſed & in jucũdo. Opponenti ergò: Virtus in Serio verſatur, nõ in joco? Negat hyp. 1. Alteri magis ineſt, quam alij. 2. reſpondet, quippè quod natura quidem in alijs eſt vegetior, in alijs ſegnior, unde plus minusq; eam adjuvari dicimus, actione autem perfici. Cic. de Caſ. in offic. in Cæſare lepus erat multus, magisq; de induſtria: Non verſatur in jucundo? 3. negat, quod omne vere jucundum honeſtum eſt, omneq; verè honeſtum jucundum. Quin etiam juxta Cic. liberi hominis interdum nihil convenit agere. quod finis non eſt ceſſatio, ſed inſtauratio ad laborem Patrit. lib. 3. tit. 9. de Regno & Regis Inſtit. quo ſenſu Ariſtot. lib. 8. polit. cap. 3. natura ipſa non ſolum in negocio rectè verſari, ſed ocio praeclare & honeſtè uti deſiderat.

23. Hæc virtus cum tum dicat, tum acceptet ſales: σκώπτικὸν enim potius vi-
Ptolomæus. detur, qui cum ſales ſpargit, ipſe ferre non poſſit, ſi Regium, non eſt ferre cùm dicto

tangeris, nec illud erit regium, dictis quem lacessere Plutarchus in lib. de Cohib. iracund. tùm activa erit tùm passiva. Vnde conclud. I. Urbanitas est virtus, quæ dexteritatem servat in jocis dicendis & audiendis.

24. *Enimverò sic in jocis sese gerit urbanus, ut.* 1. *tum audiat tum dicat quæ sunt viri probi.* διὰ τῷ ἐπιεικῆ καὶ ἐλευτέρῳ ἁρμόττει. 2. *ex quo etiam sequitur, non quemlibet, sed virum ingenuum, non enim quodlibet quemlibet decet, sed aliud eruditum, ineruditum aliud, sicuti & rusticum, quemadmodum etiam veteres comediæ docent, & novæ. Illæ enim ipsum obscenum, hæ verò tantum obscænorum sapiunt suspicionem.* 3. *nec ex aliis pendet, sed à decoro, ita ut, quòd in alios dicere vult, ex in se dicto primum metiatur.* ἃ γὰρ ὑπομένει ἀκούων ταῦτα καὶ ποιεῖν δοκεῖ. *sic Crassus ad eum qui interrogabat an etiam molestus esset, si mane esset accessurus? Non dicebat. Monenti ergò jubebis ergò te suscitari! Certe negaras te molestum futurum.* 4. *unde sibi ipsi lex est.*

νομὸς

νόμῳ ὧν ἑαυτῷ: *Sic scilicet dicit, vel acceptat sales, ut liberalitèr oblectet, neminem lascivè, seu contumeliosè offendat: Seu quod Ethic. Maurit. ut absit,* ἀσέλγεια, *adsit contra gravitas, nihil olens lascivi, aut impudici. In quo Asinius Pollio, Cic. æmulus, ita felix, ut leporum, & facetiarum parens sit dictus, omniumq; horarum homo. Gyraldus de poëtis. Ex quibus Conclus. II.* Ur-

Symp. I. banitas, quæ à medio deflectit, vel superat, vel deficit.

25. In excessu *ergò est* φωνολοχία *à* φώνη *&* λοχαίω *Cic. dicacitas, aliis scurrilitas, ab iis qui aris insidiantur. hoc est, qui ita Sacrificiis adesse solebant, ut populum delectantes, post ventrem saginent. Vitium, quod facit dicterium temerè, & sine malo. quo qui laborant importuni sunt, risum spectantes nil curant honestum, ita ut nec sibi, nec aliis parcant, nec vereantur dicere, quæ bonus & elegans abhorret audire.*

26. *Ut verò urbani sunt duplices, activi*

activi & passivi: ita etiam φωμόλοχοι. *Activi v. solius vel delactationis gratia faciunt, etiã modestiores Arist.* φωμόλοχοι αὐτοκάτωκελοι *dicti: vel ratione lucri, & sunt deterrimi. Vteráq; tamen comparatur ibidi avi. Hæc enim ut ex rostro culum facit, dum, immissa eadem in culum, adhibita aqua salsa, medicus usum ostendit: ita hi ex ore faciunt podicem. Passivi; qui scurros libentèr auscultant, etiamsi nil obscœni evomant. Ad quos referuntnr homines futiles, qui non nisi vanis delectantur, & futilibus magis, quemadmodum & in illorum sunt familia, tum qui alios irridentcum offensione: tum qui micterismos acerbos & virulentos evomunt.*

27. In Defectu est ἀγροικότης Rusticitas, *seu insulsitas, quæ neq; jocos commodè, neq; aptè tolorare potest. atq; adeò ineptus ad conversationem, quæ cum ad vitam sit maximè necessaria, jocus verò ad conversationem, fit etiam ut hic à Mediocritate existimetur potius recedere.*

28. An ludere liceat *hic quæritur?* An ludere licitum.

tur? Negari poterat, quod honestati idem adversetur, ab ignava avaritia, segnique ocio proficiscatur: ingenia multa corrumpat: multos ad laqueum, plures ad paupertatem redigat: & sic Reipublicæ salutem turbet, pervertatq. Verum aliquid hîc indulgendum contra nemo sanæ mentis negabit. quod hac planum facio hypoth. Quod non est contrà honestatem: ad virtutem facit: ad animi recreationem: ad corporis vigorem, id nequaquam omninò est, rejiciendum. Cum ergo multi lusus ejusmodi sint, quis erit, hisce qui interdicat. Hinc apud Romanos ludi plebeji instituebantur: apud Græcos ludi Olympici: apud Germanos antiquiores currendi certamina, non modo ut sese protuenda libertate munirent juvenes: sed ut ocium præcipuè formidarent, qui enim ociosus est, aut molestè degit, aut minus digna meditatur, quod Patritius dixit de Principe titit. 9. lib. 3. Hinc etiam ludos, excercuere principes multi & summi. De

Ma-

Mæcenate Horatius Serm. lib. 1. Satyr 5. Lusum it Mæcenas, sicuti etiam Publ. Scævola, Alexander, Lycon Philosophus; ut illi ex laboribus publicis, & militaribus, ita hic ex studiis confugit ad pilam fessus, tanquam ad auram placidam post æstum difficilem, quod idem Patritij est cit. loco. Verùm nec omnes erunt & hoc modo concedendi ludi. Præsertim qui sint contra tùm privatam, tùm publicam salutem. Primum ergo horum genus est, quibus periclitatur hominum vita, de quibus Panormitanus, Omnes ludi, in quibus periclitatur hominum salus, aut animorum, omninò tollendi, in Cap. felicis de torneamentis, unde accusatur tanquam crudelis Dionysius Syracus. qui inter ludendum pusionem, quem unicè adamabat, intremit. Atq; adeo qui expressè sunt contra mandatum Dei, ut sunt concertationes cruentæ, omnes privatæ, quamvis enim in his nobiles nostri studiosè exercere malint fortitudinem, tamen cujusq; mens affirmat, esse hæc eadem non modo adversus Deum, & humana omnia.

sed

sed nec sapere fortitudinem, quod ab omni virtute absint, & temeraria, cum tamen nulla sit fortitudo, quæ simul etiam non sit justa. Etsi enim prætendant vindictam, de seriis enim loquor, non de ludicris, quæ tamen facilè abeunt etiam in hostilia, tamen judicibus parendum erat potius, ut jubet Instinian. in §. 1. auth. quippè cum studiosi simus togati, non armati, pacem, non bellum sect ab. 3. qui sunt contra civitatis tranquillitatem, cujus accusatur Otho, qui per urbem vagabundus, magno improborum, & procacium juvenum comitatu, quoscunq; obviam haberet, verberibus cædabat. 4. & qui, cum sint contra honestatem, lucrum quærunt. quo nomine delatus Octavius à Suetonio, ita ut etiam in proverbium abierit: Aliquando ut vincat ludit assidue aleam. His cum Ægyptij legem posuerint: Aleator omnibus accusare volentibus obnoxius esto, vetitum etiam est, ut Paulus I C T V S refert, in pecuniam ludere. quippè in quibus ludis

omnia

omnia insunt, quæ primum dicta vitia, avaritia ignava: segne ocium: rerum profusio: insana vis: injuria: dolus: rapina: homicidium: suspicio, quod aleator nemini credit, nemo eidem sua permittit. Sint ergò liciti hi præcipuè: 1. honesti & liberales. 2. qui ad virtutis faciunt acquisitionem. 3. qui reddunt animum alacriorem, natura enim non solum in negocio rectè versari, sed ocio præclarè & honestè desiderat frui. 4. & vires corporis adjuvant. 5. & qui non nisi justo tempore, loco decenti, & modo convenienti, exercentur. Sic enim ludus laboris quædam medicina Arist. citat. loco. qualitèr Scipio se puerascere dicebat, cum, discussis publicis causis, ad Cajetam cum Lælio amico conchulas legeret: & deniq; si ita instituantur, ut ne sint cessatio, sed instauratio laboris, seu, quod Anacharsis Scythæ, ut ne sint abitus, sed ad laborem & Philosophiam reditus. Quæ contra opponuntur, hac tollo hypoth. omnia: Usus habet laudem, crimen abusus habet.

29. *Vbi si quæras quid de Citharœdis & musicis sentiendũ, qui aliis inservivnt lucri gratia? Si ingenui sint ordine, & nõ nisi lucrum quærant nil est, quod respondeam, nisi quod Politico-Philosophus respondet: Musicam quidem honestam esse, sed non minus ac in reliquis artibus hic dari abusum, præsertim ubi ad utilitatem refertur non ad honestatem lib. 8. Pol. cap. 3.*

30. *Ex quibus exurgit quæst. III.*

Quid de comœdijs sentiẽdum?

Etsi multoties hæc obscœna alant plurima, nisi tamen ad imitationem hæc dirigantur, sed ad fugam, itemq; justo instituantur tempore, & loco: præcaveantur pericula, ut potest: non ob lucrum instituantur, sed ob honestatem, in Republica non parùm proderunt. quippe cum Respublica sine prudentia, hæc autem sine ingenio nihil sit, hæc ingenium excitant: quod ubi nihil possit, vel acutissimum sine sermone, sermonem dirigunt, & instruunt: ubi tamen, si desit alacritas, quæq; labefactetur animum etiam excitant, hilarioremq; reddunt: & cum sit idem maleficus, omnia

corru-

corruant, vitia naturæ insuper elegantissimè emendant informantq́. Vn. ad priscum illud genus hominum durum, agreste & ad injuriam, rapinamq́ proclive potius, quàm ad laborem erectum, blandis fabellis opus fuit, quibus sensim à depravata, & violenta consuetudine discederent. Patrit. in lib. 3. præfat. etiam voluptatibus deliciisq́ deditum genus hominum per hæc sæpè ad veram virtutem incitatur. Vide Goclenium in probl. Ethic. probl. 61.

31. PUDOR, *Græcis* αἰδὼς, αἰσχύνη χρῶμα, *seu tinctura virtutis est* φόβος, λύπη, ταραχὴ genita ex delicti infamiâ. *Non est ergò virtus, sed affectus, impropriè tamen virtus dicta lib. 3. cap. 8. ab Arist. quod viam habet, ac similitudinem ad virtutem.*

32. *Extremum in Excessu* κατάπληξις, δυσωπία cum quis, obstupefactus quasi, in omni re verecundatur. *in Defectu* ἀναισχυντία, ἀναίδεια, cum quis nulla re verecundatur, *de quo Plautus in Bachide: peri-*

vit ille quidem cui perijt pudor.

33. Quærat autem hic quippiam an pudor sit laudabilis? Qui Patritium sequi velit inter pudorem & verecundiam discernentem, quod ille sit ex dedecore: hæc ex adspectu honesti viri lib. 6. tit. 19. illum omninò culpabilem dicet, quamvis hanc non item: sed Aristot. secuti pro eodem utrumq; habentes sic distinguimus: Cum juvenis, qui adhuc multa agit ex affectibus incontinentèr, verecũdatur, hic ostendit se dolere ob dedecus, & expetere honestatẽ & hoc modo erit signum laudabile: unde Aristot. filia quisnam color pulcerrimus esset interrogata, qui per verecundiam ingenuis hominibus oboritur, respondit. Cum verò virum bonum haud deceat quid perpetrare mali, pudor autem non nisi delictorum sit comes, in sene nedum erit laudabilis, sed & maximè reprehendẽdus. Contraria tollit hypoth. Pudor eorum est quæ à nobis sponte fiunt, non ab aliis. Etsi ergò viro bono multa contingunt ob

suam

ſuam familiam mala, ob quæ deceat verecundari, tamen cum hæc non ſponte ob eodem, ſed à ſuis proveniant, etſi eadem non poſſit non dolere, tamen propterea non dicetur propriè verecundari. Et ſi is cujus in animo erat velle peccare, non laudatur, ubi ſe continuerit, multò minus laude dignus erit quem pudet. Si quidem ille quod voluit, hic etiam commiſit.

Ethicotheologica.

Etſi in cauſis civilibus aliquando jocari prodeſt, in divinis tamen ſeriò agendum, illudq; eò potius quod in ſacris literis nihil eſt fictum, nihil ementitum. Mihi exitioſiſſimè videtur credi aliquod in libris SS. eſſe mendacium. Auguſt. Quamvis non ſine comitate pia & ſapienti obveniebat ipſa Sapientia Zebedæi filiis petentibus, alteri ad ſiniſtram, alteri ad dextrã ſeſſum. Nec enim ejus eſt auſteritatis Deus, ut omninò abhorrere velit à civilitate hominem, idq; non magis atq; ab hilaritate. Quod contra opponitur ex Epiſt. ad Eph. id ſoluta vocabuli εὐτραπελίας ὀμωνυμίᾳ *ſolvitur. ſumitur enim eò loco pro ſcurrilitate non pro urbanitate.*

Epiſt. 3. ad Hicro.

Marci 19. v. 32. & 39.

c. 5. v. 4.

Disputatio decima tertia

EX LIBRO V. CAP. 1. 2. 3. 4. 5. De justitia utraq;, & Talione.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam.

Ad diem VI. Octob.

Respondente

JOACHIMO FRIDERCINIO VVarnense, Megap.

THESIS I.

IVSTITIA Alciato sic dicta, quod vim sistat: Hotomanno quod in ea jus sistatur: Isidoro quasi juris status: VVesenbecio autem à justo, o in i mutato, addito tia simplicius dicta, lib. 1. de justit. & jure tit. 1. Novell. à jure, quodtamen etsi grammaticè verum, non item simul verum erit logicè, græcis δικαιοσύνη ἀπὸ τοῦ δικάιου, *quod sic dictum cap. 4. ostenditur, quasi* δίχαιον, *quod* δίχα, *hoc est, quasi æqualitèr dividat*

dat controversantes, virtutes reliquas excipit, qua ratione, inferius declarabitur.

2. Hæc, inter reliquas virtutes, præceptori nostro Nocturnos inter, velut Hesperus eminet, ignes. Nigidio Figilo inter leonem & libram, in cœlo sedem suam habens, virgo est: peracri oculorum acie, vultu & verecundo, cum dignitate, ac majestate, sine atrocitate, Gellio lib. 14. cap. 4. Patrit. lib. 8. tit. 5. fortè ut improbis terrorem incuteret, bonos verò in confidentia firmaret. in qua maximus splendor honestatis, juxta Cic. quæ si spectaretur, miros spectantibus excitaret amores, juxta Plato. Polo Pytagoreo mater & nutrix: Cic. excellentissima & splendidissima Regina virtutum omnium: Scaligero conservatrix conjunctionis humanæ: & via ad beatitudinem exercit. 307. s. 3. Platoni bonorum omnium, inter mortalia, maximum. Cujus carcer est tartarus Plutarch. de consolat. ad Apoll. quod vindex est eorum qui à divina desciscunt lege, idem adversus Clotem. quæ si subsannabitur, vita nostra beluina erit,

fera, insociabilis Plut. adversus Clotem. Quandò ergò vita nostra erit beluina, ferox, insociabilis? Cum ridebuntur isthac, & subsannabuntur:

Est oculus omnia cernens, justitiæ tamen
Stans in propinquo comminus videt Deus.

3. *Ad hanc cum quasi nati simus, Cic. 3. de finibus, & natura eam nobis commendet per corporis rectitudinem: cordis synceritatem: brutorum fidem, Paral. tomo. 1. tract. 5. part. 3. quod Deo sit grata, homini necessaria, ne fatetur transgrediamur, hoc est, ut Plutar. exponit, de lib. educ. ut summam ejus habeamus rationem cum præceptore: 1. Concludimus* δικαιοσύνη ἐστὶ ἕξις ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων ἐισὶ, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραχοῦσι, καὶ βουλεύονται τὰ δίκαια:

Cap. 1. Sym. 1. Qua homines agunt, & volunt ea quæ justa sunt. Ut *contra* ἀδικία ἐστὶ ἀφ' ἧς ἀδικοῦσι, καὶ βούλονται τὰ ἄδικα.

Qua

Qua homines agunt & volunt ea, quæ injusta sunt. *Qui descriptiones velit alias, videat Paraldum tomo. 1. tractu. 5. Part. 2. caveat interim sibi à zymomate.*

4. *Equidem cum scientiæ & facultates versentur ferè circa contraria, quod contrariorum eadem est ratio: per scientias autem intelligit Aristot. non omnes, sed eas quæ sese æquè habent ad contraria, ut est Musica Medicina: per facultates Dialecticam, & Rhetoricam: tamen longè alia est ratio habituum corporis, & reliquorum animi. quippe qui circa unum tantum contrariorum sunt occupati, ut justitia circa justum, injustitia circa injustum, cum illi circa utrumq;, ut logica circa verum & falsum, medica scientia circa sanitatem & morbum. Ex quo simul & hoc innotescit, virtutem planam fieri, tum ex contrario suo habitu. contraria enim ut contrariorum oppositione magis elucescũt,* τῶν γὰρ αὐτὸ παρὰ τὸ ἐναντίον μᾶλλον φάινεται, *ita etiam contrarius habitus ex*

contrario: tùm ex suo subjecto, in quo inest. Riccobonus in hoc cap.

5. Hanc ipsam Plato dividit, ut refert Laertius, in eam, quæ occupata est circa Deum: circa parentes, & reliquos homines: circa defunctos. Patrit. in Divinâ, quæ homines erga Deum devincit, cujus executio in beneficio & pœna. hæc n. duo cũ ea regere dicebat Solo. Naturalẽ quæ stabilis cum sit, non minus debeatur naturæ, ac illa Deo: Civilem, quam aut Principis personam sustinentis, aut ejus, qui est in societate civili, esse dicit: Judicialem seu legalem, quæ in jure dicundo versatur. lib. 8. de Regno & Regis instit. tit. 2. Verùm Aristot. subjectum respiciens propinquius Colligit. II. Justitia est aut universalis, aut particularis.

Species.

Symp. 1

6. Equidem cum hoc consequens sit, ut, si unum contrariorum multis dicatur modis, etiam alterum sic dicatur lib. 1. topic. cap. 13. & justus totidem dicatur item modis, quot injustus, justitia simul hac ratione suam sortietur divisionem.

7. Enimverò cum is, qui omnes leges violat,

violat, nec ullam harũ rationẽ habet, quales Cyclopes, qui jura sibi omninò negabant nata, existimatur παράνομος: πλεονέκτης seu ἄνισος, qui plura semper appetit, & sumit de bonis, non omnibus, sed iis, in quibus prospera adversaq; fortuna, quæ per se quidem bona, sed huic non semper: in quibus optare oportebat, ut cum sint simpliciter bona, etiam sibi sint bona, uti eligere oportet, quæ & per se, & eligenti sunt bona: etiam justus alius erit, qui juxta leges universas, & omnes rectè sese habet, & qui æqualiter sese habuerit juxta bona supra descripta. ille n. justitiæ universali præditus est: hic particulari.

8. Etenim non negabimus justitiam esse unam, & simplicem, sicuti veritatem, ratione tamen utramq; differre, nemo non concesserit. Præter finem enim, objectum facit, ut differant. Hoc universalis justitiæ sunt leges omnes, quæ cum in omnia imperium habeant, spectent vel communem omnium salutem, vel optimorum, seu eorum, quorum est vis summa, & summa rerum.

rerum. 4. polit. cap. 4. ex eoq; civis propria, & dicta νομικὴ legalis, politica, κοινωνικὴ, quod suum bonum communicat aliis: Particularis commutatio, & distributio, unde & particularis, quod partem tantum respicit virtutis.

cur posteriori loco de justitia.

9. Ex quo patet ratio, cur posteriori de hac agatur loco. nempè quod justitia universa in sese virtutes comprehendit omnes, juxta illud: ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή σι: ex quo & τῶν ἀρετῶν τέλεια perfecta, quod perfectæ virtutis usus. quandoquidem suum erga alios exercet usum, eademq; ratione κρατίστη, quod non in se, sed erga alios exercet virtutem suam. ut enim pessimus, qui in se ipsum, & amicos est improbus, tamen is est optimus, qui non sibi, sed aliis prodest per virtutem. Ex quo etiam prior illarum omnium ratio habenda, quod sic hujus virtus & vis elucebat pulchrius; Acciajolus in hoc c.

An sint una & eadem.

10. Verùm] cum universa virtus in hac concurrat, quæritur: An sint una & eadem? Ad quod notandæ sunt sequentes

quentes hypoth. I. Virtus altera ab altera nunquam ita ſecerni poteſt, ut non inter ſe, aliqua ſaltèm re, conſentiant, Alexander 2. de anima. II. Virtus dicitur una, non ratione ſpeciei, ſed ratione connexionis, & finis ultimi: Differt tamen quaq; ratione finis proprij. Etſi ergò nunquã ſecerni poſſint virtus univerſa, & juſtitia univerſa, ut in aliquo non conveniant: ita ut altera abſq; altera non magis conſiſtere poſſit, atq; corpus ſine carne, nervis, & oſſe, tamen ut in fine ultimo, nempè in beatitudine conveniunt, ſic in propinquo differunt. Qua ratione virtus univerſa ſpectat habentem, & virum bonum: juſtitia univerſalis civitatem, & civem bonum. Et ſic non ſpecie ſed ratione differunt. Dicitur autem & prudentia univerſa virtus, ſed quo ad directionem, juſtitia quo ad imperium. Poteſt enim imperare opera cæterarum virtutum, non ſufficit tamen ad exe-

exequendum ea; vel ad eligendum sine ceteris virtutibus tom. 1. tract. 5. part. 1. Paraldus.

Quænam præstantior.

11. Ex quibus etiam facilè intelligitur, quænam harum præstantior, nempe universalis. hæc namq; comprehendit particularem. qua etiam ratione ipsa sublata tollitur & altera, & efficit, & conservat felicitatem, lex enim, ex quo justum est, imperat omni virtuti. unde fulcrum dicitur civitatis, quippe quæ socios socijs, bonos bonis, urbes urbibus devincit, juxta Eurip. in phæniss.

Cap. II.

Different.

12. Nec tamen has species dicemus adversas, quas diversas sic convincimus. Justitia universalis versatur 1. circa singula virtutum objecta, & ex consequente circa singulas, & universas leges. 2. circa has enim ejus officium est benè vivere, quod omnibus vult prodesse, & nulli nocere, juxta Senecam lib. de 4. virtut. unde etiam 3. omnem requirit prudentiã. & 4. sese habet ut totum, comprehendit enim justitiam particularem. qui namq; universaliter, & in omnibus est justus, is

etiam

etiam particularitèr & in quibusdam justus erit. Cum jam particularis circa res commutandas & distribuendas tantùm versetur: & ex consequente circa bona & mala externa, in quibus lucrum & damnum: teneat tantum æqualitatem in distribuendo & commutando: non requirat prudentiam omnem: & sese habeat ut pars, qui enim particularitèr justus est, non continuò universalitèr justus erit, quemadmodũ nec omnis, qui contra legem, quamvis peccat, iniquus dicitur, aut plus appetens, quomodo homo audax, & ignavus non potest dici ἄνισος aut πλεονέκτης, tum tamen sit ἄδικος, & nec plus quàm æquum appetentis nomen pluribus competere potest, quàm ijs, qui peccant in æqualitate commutationis & distributionis, quod diximus immotum permanebit. ubi modò & hoc addiderimus 1. sunt sub eodem genere. 2. alterum spectant. 3. utraq; comparatur assuetudine. 4. utraq; coërcet appetitum. 5. sistit perturbationes. 6. & in medio sunt positæ ambæ, quamvis diverso modo.

13. Ex

13. *Ex quibus cum & convenientia percipiatur, quærat quispiam:* An, si quis adulteretur, sit ne hic ἄδικος *vel* ἄνισος, injustus aut iniquus? *Vbi dum committitur* πολυζήτησις *Arist. hac distinctim hypothesi respondet: Qui adulteratur, vel ob libidinem explendam adulteratur solùm, vel ob lucrum. ille ergò injustus cum sit, hic etiam futurus erit* ἄνισος, *quod, præter adulterium, plus in lucro etiam appetit, quàm oportebat.*

14. *At verò adhuc prioribus quis obveniat hoc modo: Divisio minus legitima est, quod membrorum dividentium neutrum debet includi in altero, justitia autem particularis includitur in universali, quod qui justus universali justitia, etiam est justus particulari? Hoc tum demùm sequi dicemus, ubi justitia particularis formaliter ineſſet universali, & non tantùm materialiter. Etsi namq; ternarius numerus est in novenario materialiter, quod tamen*

tamen ei non insit formaliter ex hoc patet, quod ternarius non est senarius. Sic etsi particularis justitia sit in universali, non tamen continuò eadem erit, quod formaliter maximè differunt: Universalis injustitia est, contumacia, seu inobœdientia cujuscunq; generis: particularis est defraudatio, Philippus in Ethic. pag. 294.

15. Quæritur ulterius quomodo intelligendum, quod hoc in c. justitia πολεσιαχῶς multis modis dicatur, & in c. 4. συνωνύμως tamen dicatur convenire? ubi ut distinguamus, præcognoscenda, quæ Piccolom. notat, Justitia universalis, ut prædicatur de universa virtute, & de singulis partibus, genus est: ut cæteras virtutes in se comprehendit, non genus, sed totum, ut corpus. quod universas suas habet partes, non commixtione sed connexione, idq; beneficio prudentiæ, unde Zeno in hunc errorem inducebatur, ut statueret virtutem unam esse prudentiam, quæ applicata causis, & rebus diversis, una per

se quidem maneret, sed tamen ratione objecti variet. Jam ergò ut sic certam constituit speciem, ita sub eodem etiam erit genere, quo justitia particularis. Atq; hoc modo prædicabitur justitia de utraq; συνωνύμως, ὁμωνύμως verò quatenus quæque respicitur juxta naturam propriam, & altera est specie tenus opposita alteri.

An sit nobilissima. *Gocl. q. 78.*

16. *Vt jam universa justitia prævalet particulari, sicutraq; conjuncta, & ut genus, non ut species, omni præstat virtuti, ita ut meritò ab Aristot. admirabilior dicatur Hespero, & Lucifero cap. 1. sed tumen & hic distinctio subvenit. Vel enim respicimus subjectum, & sapientia habet locum primum: à qua dein est prudentia, quæ simul præstat ratione officij, agentiū enim instar & principis sese habet, dum dirigit, cæteræ ut subditæ, dum diriguntur: vel subjectum circa quod, & sic fortitudo: vel causam, quomodo semper prævalet virtus heroica, de hac enim rectè dicitur, nemo unquam sine afflatu divino magnus exstitit. vel finem & executionem, & sic*

est

est justitia. ut enim omnes virtutes ad justitiam contendunt, ita hæc, quod illæ volunt, exequitur, Paraldus.

17. Sed tamen nec particularis una & eadem: quandoquidem alia versatur in distributione honorum, dignitatum, præmiorum, laborum, pœnarum, seu bonorum & malorum externorum, in quibus servat æquitatem, seu proportionem dignitatis, personæ, geometricam, unde dicitur διανεμετικὴ κατ' ἀξίαν: alia in contractibus, & commutatione, in quibus servat æqualitatem, seu proportionem arithmeticam, unde dicitur συναλλακτικὴ ἢ τὸ ἴσον. idq; in contractibus qui vel voluntate ineuntur, & dicuntur voluntarij, vel præter voluntatem eveniunt, & dicuntur inviti, qui cum vel oppertà fraude eliciantur, vel vi extorqueantur, dicuntur vel clandestini; ut veneficium, injuria, vel violenti, ut carcer, rogus, cædes. ubi tamen discernendum inter patientem, & inferentem. horum enim ratione actio & injuria modo potest esse voluntaria, modo invita. Invitus enim artem suam, thesaurum,

species justitiæ particularis.

taurum æneum, experiebatur artifex: Phalaris autem justam pœnam in artifice ex voluntate, sic justè tentabat. O miranda Dei judicis æquitas. Fraudis, namque, fraude juâ prenditur artifex. Buchanarus Psalm. 9.

18. *Neq; has species, quas ex eo astructas Philippus dicit ab Aristot. quod omnis conversatio mutua cum aliis aut communicat, aut ordinat personas p. 190. aut res communicentur, aut personæ ordinentur p. 199. easdē esse, sic probatur:* διανεμετικὴ. *1. est personarum publicarum. 2. distribuit honores, præmia & pœnas. 3. idq; juxta proportionem geometricam, seu ratione dignitatis. Cum jam* διοικωτικὴ *sit personarum privatarum, unde dicitur œconomica, ut illa politica: servet proportionem arithmeticam, eadem cum illa non erit.* Unde Concluſ.

Symp, III. Cap. III. *III.* Et juſtitiæ particularis datur mediocritas.

19. *Equidem cum injustum sit inæquale, ubi enim est plus aut minus inæqua-*

le est

le est 3. Poli,. 8. tum justum omne, tùm justitia omnis æquale quid erit, conjugatorum enim par est ratio, ergò & particularis: Ergò & mediocritas: sed proportionalis. Siquidem inter certos terminos consistit, qui mutua sese tangunt affectione, quorum ad minimum sunt quatuor, duo personarum, inter quas res vel distribuuntur, vel permutantur: duo rerum, quæ jam distribuuntur, jam permutantur.

20. At verò nec eadem proportio in utraq; versatur paritèr. Cum enim hæc sit aut Geometrica, ubi similitudo terminorum in qualitate consistit, non in quãtitate, aut numerorum intervallis: aut Arithmetica, ubi similitudo terminorũ in quãtitate, & numerorũ intervallo servatur, illa locum potius habebit in distributiva: hæc in correctiva, seu commutativa.

21. Quod equidem exinde manifestum est, quod illa non distribuit eadem facientibus eadem, non enim musicum eundem habet, quem rusticum, nec servum, quem dominum. quod apertius ex pœnarum

rum est distributione. Nam ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex his servus flagellis cædi, & domino reddi jubetur l. capitalium § in serv. ff. de pœnis. Quamvis Antonius dicere solitus, & quasi pro symbolo habuerit: Æqualitas servanda est χώρις προσωποληψίας, nec dives sit meliore conditione, quam pauper. Hæc verò & inter diversissimas personas nullam habet respectum, sed servat æqualitatem numerorum, non enim minori valore vendit merces principi, atq; privatæ alicui personæ, quod sic negociationes facile tollerentur, imo ipsa vitæ communitas mox sit interitura, sed æqualia æqualibus semper.

22. Dixi potius: Quod & in hac ipsa interdum servatur proportio Arithmetica: Quamvis enim Deum omnia geometrica proportione agitare Plato dicebat, ἀεὶ ὁ θεὸς γεωμετρεῖ, à quo tamen eum vindicat Bodinus, quod nullibi in ejus scriptis inveniatur, tamen hic est ἀπροσωποληπτος, qui non majorem habet principem, quam servum vel despectissimum,

simũ, in afferenda nẽpe salute & irrogandæ pœna vult, ut qui humanũ sanguinẽ p-fũdit, hujus sanguinis rursus profundatur. Et in rerum permutatione sæpius servatur proportio geometrica, etiamsi non ex jure, ex æquitate tamen. amico enim in quantitate æquius quid remittitur, eiq; pauperi, quam vis contrarium eveniat sæpissime, qui enim habet, huic dabitur.

23. Inter utramq; hanc Bodinus lib. 6. de Republ. harmonicam interjicit, à qua reliquas tantùm differre dicit, quantum aqua tepida à frigidissima. Est ipsi hæc proportio ubi major terminus, ad minimum relatus, ita se habet, ut differentia maximi supra medium relatus, ad differentiam medii supra minimum, ut in 6. 4. 3. ut enim senarius collatus cum ternario, ternarium bis in se comprehendit: Sic binarius, qua differt senarius à quaternario, unitatem bis in se comprehendit, qua differt quaternarius à ternario. Atq; certè cum æqualitas arithmetica non requiratur ubiq;, geometrica non possit ubivis servari, assumenda & hæc erit, quam Aristot.

Harmonica proportio.

Aristot. actu quidem præteriit, potentiâ tamen comprehendit sub utraq; magis tamen in geometrica, quam arithmetica probl. 84.

24. *Jam ergò ut intelligatur ista an injusta sit facta distributio, comparatio erit instituenda, tùm inter res, quæ sunt distributæ: tùm inter personas, inter quas res distribuuntur. quod fieri debebit vel per, sejunctionem, ita ut personæ cum personis, res cum rebus, res cum personis, persona cum rebus comparentur: vel per conjunctionem, ita ut hæc res, & hæc persona cum hac persona & re conferatur. ubi tum justa deprehendetur distributio, quando æqualibus æqualia sunt distributa, injusta, quando inæqualibus æqualia, æqualibus distribuuntur inæqualia.*

Cap. IV. 25. *Hoc autem in justitia commutativa fieri debebit per sua media, quorum alterum est ex NATURA, seu rerum USU & in digentia* τῆ χρείᾳ, *alterum ex constitutione. Equidem sic natura est comparata, ut res procreet non omninò similes, ne videatur impotentior.*

tior, ut quæ non nisi unius formæ sit artifex: nec omninò dissimiles, ne habeatur pro confuso artifice: Sed quasdam similes, quasdam dissimiles, ut agnoscatur, pro mille opifice, Res ergò etsi cum rebus similibus & paribus facilè conferuntur, idq; ex usu potius, id tamen in iis, quæ maximam habent dissimilitudinem, erit difficilimum. Medium ergò aliud erat adsumendum, quod hodiè est nummus. *Nam cum ab externis & longinquis regionibus, rebus iis, quibus egerent, importandis, & exportandis, quæ superarent, subsidia peterentur, nummi usus necessitate repertus est, idq; in ferro & argento, & quicquid ejus generis. quod initio quidem magnitudine & pondere erat tantùm definitum, tandem verò etiam nota & charactere impressum, & figuratum Arist. lib. 1. polit. c. 5. quod adscribitur Phidoni in Egina.*

24. *Si jam justitia est medium, Conclud. IV.* Iustitia sua habet extrema, *cum enim rectum id sit, in quo medium non exit ab extremis, ubi est rectitudo justitiæ, aliquid est ut medium, & ali-* Symp. IV. Cap. V.

qua ut extrema Parald. tomo. 1. parte 2. tract. 5. Quæ sanè hic utraq; cõprehenduntur in injustitia, quæ omnis oritur vel ex irâ, vel ex cupiditate quæ in õni actione injusta cõjunctim sunt, dum alteri tribuentes plus, minus tribuimus alteri, quam debemus, ut contra cum alteri minus, alteri magis tribuitur. Et hæc in judice perspiciuntur apertius, quandò nec ad dextram nec ad sinistram declinabit, cum in super medij locum habeat, per quod aliquid tribuitur: extrema sint, quod tribuitur, & cui. Paraldus tomo. 1. part. 2. tract. 5.

Injustitiæ species.

27. *Hæc ipsa injustitia, cum dividi poterat variè: Alia* est lædens, *quæ vel fit aperta vi, vel occulta fraude, juxta distinct. Cic. lib. 1. officio. Cum autem duobus modis, id est, aut vi aut fraude fiat injuria: fraus quasi vulpeculæ, vi leonis videtur. Hæc autem magis nefanda: utrumq; alienissimum ab homine est, sed fraus odio digna majore: totius injustitiæ nulla capitalior est, quam eorum qui cum maximè fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur Cic. ibidem.*

dem. Alia deserens de qua Cic. citato lib. Injustitiæ duo sunt genera: unum eorum qui inferunt: alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam: quamvis nullibi sit lædens, ubi tamen non simul sit deserens, nec quisquam deserat, qui non simul lædat: Alia nimis laxa, eorum qui nulla putant vel gravissima peccata capite plectenda: Alia nimis rigida, qua qui æstuant dicuntur ἀκριβοδίκαιοι, *quæ omnia delicta æquali lance metitur. ad quàm pertinet malitiosa juris interpretatio Cic. Citatato lib.*

28. *At enim cum par pari referre deceat quæritur: Numne id fieri possit æquius,* ubi quisq; tale, & idem patitur, quale quisq; fecit. *Hoc Locrensium fuisse ferunt jus, Arist. hoc loco & lib. 2. polit. c. 1. dictum* ἀντιπεπονθὸς *alio nomine etiam* ταυτοπάθεια, *latinis jus Talionis, S. Cæcilio apud A. Gelli. lib. 20. cap. 1. reciproca talio, si feret quisq; quod egit.* Εἰκε πάθοι τὰ κ' ἔρεξε, δίκη καὶ ἰθεῖα γένοιτο. *Quare ne fidem*

Pœna talionis.

fidem derogemus præceptori, atq; adeò vetustatis fidem suspectam habeamus, non quærimus; utrum jus hoc apud antiquiores viguerit, *cum idem non modo, præter alia ex Demosthene adversus Timocratem manifestum sit, sed simul ex Cic. pateat, apud Romanos ejus notam hæsisse, dum ab eodem ipso inter panarum species octo numeratur: qualiter sunt damnum, vincula verbera, talio, ignominia, exilium servitus, mors. imò ex legibus 12. tabularum ejus vis animadvertatur, cum ibidem hæc legamus.* SI MEMBRVM RVPIT MEVME PACTO TALIO ESTO. *Sic etiam apud Asiaticas gentes non minus floruit hæc lex olim, quemadmodum ex Herdoto videre est, atq; apud Turcas hodie, ubi tamen penes judices est vel mulctam, vel pœnam repetere, referente Camerario in oper. subcisivis cap. 99. cent. 1. Hoc modo à judice quoq; ipso olim eadem pœna repetebatur, quam aliis indulserat, unde est, quod in Cambyse, tanquam justum laudatur, quod judicem iniquum detrecta-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0344
DFG

trecta cute in tribunali posuit, quamvis hoc ad jus summum referendum, & illud à prætorij juris clementia lenitum Camerarius asserat. Sic calumniator, ubi convictus fuerit, adhuc pœnam suam habet. Ortum hoc jus suum duxit ab Æaco Minoe & Rhadamantho, qui jovis filij, & judices inferni à poetis finguntur, eò quod prudentiâ apud Cretenses, & justitiâ præstarunt, Natalis Comes in Mythol. lib. 3. cap. 7. 8. & 9.

29. Verùm nec hîc quærimus: An hoc jus post correctum sit: cum hoc ipsum non possit, negari, vel de legis hujus cultoribus ipsis. Cum enim, qui novam legem ferre vellet apud Locrenses collo inserto, ut si arrisisset sanctio, viveret, sin minus strangularetur legislator novus, id tentare cogeretur, vel per ducentos annos talio viguit, donec tandem, quidam luscus, comperisset, esse inimicum, qui alterum oculum ipsi esset excussurus, periculum tentavit, & hanc quoq; legem feliciter sanxit: SI QVIS LVSCVM ALTERO PRIVAVERIT OCVLO,

AM-

AMBOBVS HIC PRIVABITVR CONTRA, idq; ut pari calamitate, quæ verba Riccoboni in hoc cap. conflictarentur. quomodo etiam superiorem legem Cujacius hoc modo explicat. SI MEMBRVM RVPIT, NICVM EO PACIT, antiquitus autem paco dici voluit pro paciscor, TALIO ESTO, pactum autem est quædam correctio, ita ut nec opus sit à Bodino hîc longius retardari, quando Aristot. & Phavorini obtrectationes adversus hanc legem accusat lib. 6. de Repubi. Sed potius hoc quæritur An jus ἀντιπεπονθὸς simplicitèr in Republica locum invenire possit? hoc est: An semper paria paribus debeant, aut possint rependi. Negat Aristot. Nos cum eodem. Etenim vel sic in commutativa justitia invenerit locum, vel in distributiva. In distributiva autem respectus omninò esse debet dignitatis. Si nama, magistratus percusserit, magistratum ne quis rursus percutien-

dum

dum statuet? cum percutere hunc rursus sit prohibitum: Aut si quis magistratum percusserit, referiendus hic saltem erit? Cum non modò referiendus hic, sed summo simplicio sit coercendus. Cum verò nec oleum pro oleo, aut frumentum pro frumento: sed pro frumento oleum, pro calceo domus, pro domo calceus reddatur & nummus, quis non & ratione commutationis & hanc legem cadere videt? Præsertim verò cum multum valeat an sponte quid egerimus, an invitè, ignorantes an prudentes. Quis enim pari jure ignorantèr malum & invitè quid perpetrantem metietur cum eo, qui sponte & sciens egerit, cum etiam nequaquam fortuita numerentur inter injusta, hic enim nulla voluntas cum sit, actiones autem metiamur ex voluntate, nec injustum erit ratione agentis, quamvis injustè ferrè possit hac tamen ratione patiens. Neq; sanè sic gratiarum ædes, quæ in media urbe collocatæ fuerunt consisterent: Qualis etiam Romæ in medio foro olim fuit: quæ non idem pro eodem, sed dignum pro digno, necessarium, pro necessa-

rio

rio reposcebant non frumentũ pro frumento, aut panẽ pro pane sed frumentũ ppane. Equidem, quæ Phavorini sunt, quis est qui difficultatem hujus legis non animadvertat inexplicabilem? Nam cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi itidem per talionem rumpere velit, quæro an efficere possit rumpendi pariter æquilibrium? quod per imprudentiam factum est retaliari per imprudentiam debebit? Nec enim ictus consultus & fortuitus cadunt sub ejusdem talionis similitudinem. Quis non animadvertit item legis summam incommoditatem? Infinita sanè oriretur ulciscendi retaliatio. Etiamsi enim prudens quis læserit, nequaquam tamen permiserit, aut latius aut altius se lædi? Quid si is qui justitiam exerceat in reo, conductus pecunia, dolores excitaverit majores? Jam ergò, nelocum inveniat hoc jus, facit personarum diversitas: mercium inæqualitas: actionum diversitas: recompensationis eodem pondere difficultas, & incommoditas, quippe sic quisq; vel quodvis tentaturus esset sub prætextu æqualitas Aristot. hoc loci,

30. *Quæ contra opponuntur his tollo hypoth. I. Ut ratio judicis est oraculum civitatis, Norma judicis proportio rationis: ita etiam præscribent tùm ratio recta, tùm proportio æquivalens, quod nec sit plus, nec minus. II. Non licebit semper pari par referre, quandoquidem qui parentem verberaverit, non tantum verberandus erit rursus, cum etiam oculum obliquum in parentem corvi sint eradicaturi, secundum judicis supremi sententiam. III. Potest quid approbari una ratione, quod tamen alterius respectu planè negabitur. Sic homo modo dicitur mortalis, modo immortalis. illud juxta corpus, hoc juxta animam. Quod ergò dicitur justitiam non admittere plus aut minus, hæc ipsa autem non esse in talione? prior respondet hypothesis, quandoquidem ut ipsam talionem definiat judex, & proportio, necessum est, cum juxta hypoth. secundam non sit*

vera talio semper eadem pro iisdem referre. Quod si id objicitur, quod ab ipso Aristot. lib. 2 polit. c. 1. laudetur, sic enim ibi habent verba: τὸ ἴσον τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις, est civitatum salus? non contradicimus, quod non eodem modo utrobiq; consideratur. In Ethicis enim rejicitur juxta proportionem arithmeticam: in Politicis approbatur, quatenus conjuncta est cum proportione geometrica. Nisi enim par pari referretur servitus existeret non libertas, unde civitatis salus naufragium esset passura: Sed hoc tamen non fieri debet, ut quisque velit, sed ut judex, qui est moderator legis faciendum putat. Casus hoc c. Unde Cecilius ap. A. Gell. Nolo hæc ignores, hanc quoq; ipsam talionem ad æstimationem judicis redigi necessariò solitam. Neq; cujus membrum rupisset, prudens aut imprudens rupisset, spectarunt, aut talionem in eo ad amussim æquipararunt, vel in librili perpenderunt, sed potius eundem animum, eundemq; impetum in eadem parte corporis rumpendi.

31. Er-

31. *Ergò id approbabitur simul.* Summum jus summa injuria? *Suo equidem modo, de quo Gocl. sic habet: Summum jus sumitur vel pro sævitia & rigore juris, sine mitigatione, aut pro malitiosa juris interpretatione. Verumq; nomine ius est, sed re ipsa neutiquam. Non concedat quis totum de priore. siquidem quod S. Cæcilii est apud A. Gellium cit. loco, cum acerbitas plerumque ulciscendi maleficii benè atq; cautè vivendi disciplina sit, quo delictum gravius eo strictiore jure puniendum erit. Idem quoq; judicabūt judices. quod ipsum ipse Deus exseruit in Achabo. 3. Regum cap. 20. Quoniam dimisisti, inquit, virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Sic tamen distinguo. Ut sævitas omnis damnanda, sic severitas interdum laudanda. Summum ergò jus, ut est sævitia, non nisi sanguinolentus laudabit, severitatem omnem non nisi mollis improbabit. quæ tamen ut exserenda sit hac*

docet Camerarius hypoth. *In atrocioribus & notoriis criminibus, ne prabeatur materia delinquendi ob speratam impunitatem, sed deterreantur scelerati atrocitate supplicij, judex non debet mitior esse lege, vel consuetudine. Quando verò apparet causa aliqua mitigationis, vel dubium aliquod, præsertim in facto, emergit, hic non audiendi sunt* ἀκριβοδίκαιοι, *sed semper facienda est interpretatio in benigniorem partem, quæ scilicet tendit ad liberandum, non ad obligandum in oper. subciſivis Cent.* I. *cap.* 100. *sanctius enim Agesilao erat nocentem dimittere, quàm innocentem damnare. Si enim omnis fur juxta legem sit strangulandus, cum lex de furto tantùm loquatur petulanter facto, ex justa lege fiet injusta, quando damnatus sit per eam, qui fame coactus erat furari*

* Goclenius prob. Ethic. prob. 76.

Ethicotheologica.

I. *Plurimum in Aristide prædicatur justitia, quæ tamen collata ad Christi justitiam nulla est. Hæc namq; perfectissima cum sit, virtutes etiam fuerunt & sunt in Christo plenissimè, de cujus plenitudine nos accipimus M. senten. lib. 3. distinct. 33. In Aristide imperfectissima. Cum enim Christus à se habeat quicquid habet, homo non nisi ex gratiâ vel generali, ut non renatus, vel speciali, ut renatus, quod supra monitum, accipit & habet: Sic nec, qui non est regeneratus, minimè autem ethnicum quempiam, vel absolutissima virtute politica perfectum ex regeneratis habebimus, ἀδύνατον enim est regenerari quempiam, nisi regeneretur ex aqua & spiritu, ullam, spiritualiter dicẽdo, virtutẽ possidet, sed quicquid possidet, peccatum est, quandoquidem sine fide quod possidet bonum naturaliter, ex operatione malũ fit, cũ à quo provenit bonũ hoc, non*

dirigitur. Sed tamen in Aristide moraliter virtus hæc præluxisse prædicatur, ut in eo fuerit tanquam καθῆκον, relatus ad homines, non verò ad Christum Deum hac ratione ne ut umbra respondet æternæ virtuti. cum in Christo eluceat κατόρθωμα, hoc est, ut Ethica exponit Mauritiana, Christus in vita sua perfectissimum est omnis justitiæ exemplum. ut rectè justitiæ sibi tribuat: Feci judicium & justitiam.

II. Etsi, quod supra dictum, Deus platoni dicatur ἀεὶ γεωμετρεῖν: tamen nec citra pietatem dicimus, ejus voluntatem juxta Legem in proportione consistere arithmetica, ut: fac hoc & vives: Juxta verò Evangelium in proportione meâ geometrica. nullo enim vel quo ad nos, vel quo ad nostrum, quod ex nobis sit, respectu, vel vocamur, vel eligimur, hoc est, salvamur: sed ex mera Dei gratia, quamvis per meritum & precium Christi exactissimum, cujus ex vulneribus sanamur, cujus per sanguinem purificamur, cujus per mortem vivimus, & vivemus æternum. Unde patet oriri hîc proportionem harmonicam.

micam. quamvis enim respectu nostri gratis salvemur minime tamen gratis salvamur respectu Christi, qui τὸ λύτρον pro nobis solvit plenissimum. Gratis hoc quoq; præstitum est, seu salvus es factus gratis, sed gratis quod ad te pertinet: Nam quod ad illum planè non gratis, salvus es factus pro nihilo, non de nihilo tamen. Bernardus in psal. 91. ser. 14.

III. Ut vetustiores, sic etiam adhuc sacris jussi judices mandatis, certis quibusdam casibus jus exercent talionis. ut enim mensuram expectabit quisq; rursus, qua mensus est Matt. 7. v. 2. sic qui sanguinem effuderit, hujus sanguis rursus effundetur. Gen. 9. v. 6.

IV. Malæ leges finem in bonis bonum habent. Imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur benè credentes, & coronantur perseverantes. Quicunq; enim his temperare non vult, acquirit grande præmium: ut qui iis, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. August. de correct. Donat. ad Bonifac. c. 6.

Disputatio decima quarta

EX LIB. V. CAP. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. De jure & æquitate.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam.

ad diem XIII. Octobr.

Respondente

ANTONIO à CALDEN N. R.

Thesis I.

IUS, seu δίκαιον, quasi vis alij dicunt, cùm tamen nil potius adversus sit naturæ, atq; vis. Hoc à jubendo deducit Agricola lib. 1. de invent. cap. 5. observante VVesenbecio lib. 1. de justit. & jure tit. 1. ut sit quasi jussum, quod veteres jussa dicebant, quæ hodierna ætas jura, ut annotavit Festus. Mihi non displicet Ulpiani notatio, qui idem à justitia dicit. Necenim logici à jure justitiam dixerint, sed à justitia jus, quod concretum ab abstracto tanquam simpliciori sit, non abstractum à concreto

concreto. Quare etiam ut formatum formam, sic jus justitiam rectè tùm natura, tùm ordine sequitur. quamvis si derivationem velimus grammaticam, id, quod est copiosius syllabis, à simpliciore non negabimus provenire. Cujus conclusio. I. Symp. I. Ius aliud est πολιτικὸν, aliud οἰκονομικὸν

2. Equidem ut multiplex definiretur, discernendum antea erat, sic enim prædicata essentialia venari possumus ut docet Aristot. 2. post. cap. 74. & seqq. quare Concl. II. jus πολιτικὸν quod in vitæ societate & inter homines liberos, & pares, vel proporne, vel numero servatur, ut rerum necessariarum sit copia.

3. Dicitur idem hoc jus δίκαιον κυρίως, quod propriè inter æquales detur jus, quod inter hos communio est legis, & pares sese mutuo possint injuriâ afficere, de bonis sibi plus, de malis minus sibi tribuentes invicem. Ex quo & juris hujus director erit, non hominum judicium,

sed lex, οὐκ ἐῶμεν ἄρχειν ἀνθρωπον ἀλλὰ τὸν λόγον quod illud cum periculo est, hoc verò non item, quod sic ostenditur. 1. leges omni carent affectu. 2. æqualiter sese habent ad omnes. 3. nec flectuntur minis, nec donis corrumpuntur. Cum verò hæc omnia in homine facilè contingant, ne periculum in promptu sit cavendum. Sed tamen & hîc repetit suum precium magistratus, cui cum par vix referri possit precium, quicquid enim agit in commune bonum agit unde etiam justitia aliorum bonum dicit, honorem τιμὴν καὶ γέρας, quæ Romani sub voce Autoritatis complexi sunt, à civibus repetet, si ultra aliquid reposcet, tyrannus erit, non magistratus. ut namq; Principes, sive unus, sive complures fuerint, legum tantum moderatores sunt, sic rectæ & salutares leges Reipublicæ sunt dominæ lib. 3. polit. cap. 7. sic magistratus sunt honores, eo loco.

6. Verùmenim verò cum jus πολιτικὸν vel sit semper idem, nunquam mutetur, vel etiam variet, & aliquando mutetur

tetur Conclud. V. Jus aliud est Na- Symp. V.
turale, *quod naturalis ratio inter homines constituit & ubiq; locorum & gentium retinet vim suam:* Aliud legitimum, *quod opinione ratum ac irritum fieri cum possit, antequam sancitum est, nil refert. hoc vel illo modo aliquid fiat, postquam autem sancitum & acceptum est, refert seu quod Patritius de judiciali justitia, est in rebus, in quibus aliquid fiat, ab initio nihil intererat hoc vel illo modo. Sic parentes colere, Deum venerari omni genti ratum, ac firmum semper fuit, imò pium: at ut centum libræ auri in dote uxori veniant, hoc est, ut computat politica D. Joachimi Stephani* J C T I. *cap. 7. Politices 7200. solidi, neq; ubivis servatum, sed tantum apud Romanos, & ut apud hos lex semper non erat, ante enim decem, post quadraginta millia æris dos repetebat, ita vix hodiè observabitur, aut vigebit.*

7. *At verò hic controversia oritur:* An jus detur naturale. An etiam detur jus naturale.

Negant

Negant Epicurei, & cum his omnibus & Archelaus Socratis magister, qui, ut refert Patritius, solis legibus, hoc est, constitutionibus jus metiebatur, & Carneades apud A. Gellium, quem tamen Patritius excusat, quod διαλεκτικῶς & dialectico more de ea agat. lib. 3. tit. 5. de Regno & Regis institutione. Affirmat Aristot. hac hypoth. Naturale est quod. 1. Immutabile. 2. quod à Deo naturaliter est inditum. 3. omnibus sanæ mentis inest. 4. & quæq; ad honestatem dirigit. Cum ergò Deos venerari: parentes colere: prolem amare, adjuvare, sint immutabilia: à Deo naturaliter sint indita: omnibus sanæ mentis insint: Dico sanæ mentis, *quod homines non se habent ut Deus, in hoc enim quod est naturale, plane est immutabile, in homine autem quod est naturale, non est mutabile quatenus est homo, sed quatenus naturā perverit, & ab humanitate recedit: & quæ ad honestatem dirigant, non solum lege constabunt, sed & natura.* 8. Con-

8. *Consentiunt hîc* ICTI. *Sed tamen & dissentiunt in distinctione. Distinguunt enim jus in publicum, quod non ex præceptis naturæ, vel gentium, vel civilibus, sed constitutum pro usu & commodo Reipub. Romanæ. seu quod ad statum Reipublicæ Romanæ spectat. & privatum. Jus publicum dicunt, non quod publicè sit sancitum, sed ratione objecti & finis. quod ad sacra, ad sacerdotes, ad leges ad magistratus aliaq; jura publica moderanda collimat: Jus privatum quod ad singulorum res pertinet. Idq; dividunt in jus naturæ, quod natura omnibus animantibus indidit, ubi reducunt religionem ergà Deum, amorem erga patriam, parentes, proximum, pudicitiam & castitatem, ne scilicet incestæ nuptiæ contrahantur: Jus gentium, ubi referunt jura belli; commercia, captivitates, cujus suprema lex, salus populi. jus civile quod vel est cujusq; civitatis proprium, vel Romanæ civitatis solum. Wesenbecius lib. de justit. & jure tit. 1.*

9. *Verum discrepantia potius est in verbis,*

verbis, tum quod sub civili jure comprehendit Aristot. jus naturale, gentium: & publicum sub legitimo, quod VVesenbecius civile dicit: tum quod jus naturale non tribuitur brutis, nisi per similitudinem, non enim, quod hoc revera sit jus, ita dicitur, ubi enim non est abstractum justitia, ibi nec concretum jus, sed quod esse videatur. Nec enim beluæ γάμῳ conjunguntur sed ὀχείᾳ seu promiscua aliqua, sine ratione & consilio naturali impetu impellente congressu.

Servitus cujus juris.

10. At quæritur hic: An servitus & captivitas pertineant ad jus naturæ? ubi sic distinguo juxta Aristot. ut servitus consideratur aut ratione animi, & naturæ, quatenus scilicet, qui se ipsum regere per virtutem non potest, per alium regi necesse habet 1. polit. aut ratione officij, quatenus quis alteri subjicitur certo aliquo contracto: sic captivitas alia est naturæ, quatenus inferior subjicitur superiori, alia est legis. Priori ergò ratione servitus &

tus & captivitus ex natura sunt, de quo altius in politicis agitur, posteriori non item.

II. *Quod verò jus legitimum non sit naturale, id hac patet hypoth. jus legitimum humana est sanctum autoritate, communiq; hominum consensu, quamvis fundamentum alicubi habeat juris naturæ. Dico aliquando, quod sæpè contra naturam sit, ut licebat apud Lacedæmonios alteri suum eripere, cum tamen natura quisq; suum teneat, quâ vis Cic. velit omnia naturâ esse communia lib. 1. officiorum. Sunt autem privata nulla naturâ: seu aut veteri occupatione: aut qui quondam in vacua venerunt: aut victoria, ut qui bello potiti sunt: aut lege: aut pactione, conditione, sorte. Ita lege suum cujusq; fit eorum, quæ natura fuerunt communia. Quis namq;, ut in uno absurdum manifestetur reliquorum omnium, uxores dicturus esset communes etiam ant: lapsum? ex quo VI. conclud.* Symp. VI. *ex mente Aristot.* Ius civile non con-

contrariatur naturali *quod ut stet distinguet hæc hypoth.* *Quæ in tertio aliquo conveniunt non statim sunt contraria: etiamsi possint esse opposita.* *Ergò cum in justo & æquo conveniant non erunt contraria. Etsi dari poterat quod sint contraria ratione juris primævi, ubi nihil iniquum, nihil inæquale, nil curvum, omnia æqua, æqualia, recta, non verò quo ad statum hujus vitæ* Goclenius *quæstio. 72. Ethic. probl. ita tamen ut non labefactentur præcepta naturalia de discrimine honestorum & turpium, ubi si opponitur multa oppugnari legibus civilibus, quæ tamen jus naturæ ad aram propugnet, hæc succurrit hypoth.* *Potest aliquid in actionibus hominum perverti, quod tamen in mente cujusq; stet immotum.* *Etsi ergò actio perversa naturam turbet, pervertetq; tamen mens sana, quæ in corpore est sano naturæ obœdiet, ab eaq; sola pendebit. ubi concludimus.* VII. Justum

Symp. VII.

& ho-

& honestum sunt à naturâ.

12. *Quæ contra opponuntur hac tollo hypoth. Potest quid ratione principij à natura esse, quod tamen ratione incrementi est ab arte, ratione perfectionis ab actione. II. Non semper ex sua Aristot. loquitur sententia, sed sæpè aliorum non semper* διδακτικῶς, *sed* πεφυσικῶς *interdum. Quod si ergo opponitur Naturam subministrare principia juris? quamvis hoc non solum concedi poterat ratione juris primævi, ubi simul & ipsum jus innatum erat, tamen ratione hujus imperfecti status, ut principia nobis innascuntur, sic lege & consuetudine hæc eadem perficiuntur Goclenius probl. Ethic. 45. Quod si Aristoteles dicet lib. 1. Ethic. justum solum constare natura, non lege? secunda solvit hypothesis. Ex quo*

Concl. VIII. Ius non est unum & idem. *Contraria hac tollentur hypoth.* Non cōtinuò quod idem est Sym. VIII.

juxta principium genrale, ſpecie idem eſt. *Etſi ergò jus ſit unum juxta principia generalia, ſeu quo ad theſin, non tamen idem erit juxta ſpeciem. Intelligimus autem ſpeciem, quatenus in virtutes cadit.*

An omne quod videtur injuſtum ſit injuſtum. Cap. VIII.

13. *Nec tamen quod videtur juſtum, vel injuſtum omninò tale eſt. Quodut manifeſtum ſit diſcernenda erunt delicta. Quæ ergò ex ignorantia fiunt dicuntur* ἁμαρτήματα; *quod præter rationem & electionem eſt* ἀτυχημα: *quod ſcienter commiſſum eſt, nulla antegreſſa deliberatione, dicitur* ἀδίκημα, *ſicuti ſunt quæ per iram facimus, quandoquidem qui ex ira aliquid agit, non incipit, nec primò agit, ſed qui ad iram incitat, unde etiam benè judicant, qui non rigidè, ſed qui juxta æquitatem hîc judicant. qui ex præelectione agit* οὗτος ἄδικος καὶ μοχθηρός ἐστιν *ergò etiam injuriam propriè inferet. illi non item, quod ut ad omnem virtutem, ſic etiam ad quodlibet vitium requiritur ut, quis ſcienter, ſponte, & conſtantèr quid agat. loquimur autem*

autem hic de habitu, non de actione. itaq; etiam quæ non sponte fiunt, non sunt injusta, etsi sint ἁμαρτήματα, sic etiam venia digna: sed ea quæ per ignorantiam fiunt, & quæ sequitur, pœnitentia ut lib. 3. dictum est, non quæ commissa sunt ab ignorante:

An quæ ex ira spontanea.

14. At verò quæritur hic: An non Aristot. sibi contradicat, cum lib. 3. dictum sit, ea, quæ ex ira fiunt sponte fieri, hìc tamen dicat, qui per iram quid faciat, non sponte agere. Hoc distinguo tali hypoth. *Quod invitum est ratione electionis, id non invitum semper est ratione notitiæ.* hac enim ratione, omne id quod per ebrietatem quis ageret, esset merè invitum, cum tamen principium sit intra, & omne quod præter electionem est, esset voluntarium omninò, cum tamen si pœnitentia accesserit, sit non spontaneum μὴ ἑκον. Quod ergò lib. 3. dicitur sponte factum, quatenus non agit, quod ignoret agens. non sponte factum, quatenus respicitur electio. ubi enim non

esset districta affectibus ratio, quod praeter rationem est, nunquam homo commisisset. *Riccob. in hoc cap.*

13. *Quærat modo quis:* An omne justum simpliciter sit justum? *Negat Gocl. quod justum sit filios, & filias æquè participare de bonis paternis, cum tamen ne hoc justum sit in feudis. Addo, justum esse, qui doctrina est præditus excellenti imperio præficiatur, etiamsi sit iuvenis. tum enim Plato dicebat Rempublicam benè se habituram cum Philosophi sint regnaturi. at tamen maximè injustum, si non ad doctrinam mores conjunxerit, hoc est, si sit tyrannus.*

Justum ne simpliciter.

Cap. IX & XI.

16. *Ex prioribus colligitur Corol.* IX. Volenti non potest fieri injuria. *quod hac demonstratur hypoth.* 1. faciens injuriam facit sponte & data opera- 2. est prior eo, qui patitur. 3. qui patitur is patitur invitè 4. est posterior. *Quod si ergò quis sibi ipsi inferat injuriam, hic ex necessitate sponte aget, & patietur*

tietur invitè: erit prior seipso: & tamen se ipso posterior. Ergò ut nemo suæ uxoris est adulter: nemo suæ rei fur. sic nemo sibiipsi inferet injuriã. Quæ contrariantur hæc tollet hypoth. I. Qui Rempublicã privat suo cõmodo nõ sibi, sed Reipublicæ creat damnũ. II. Respublica etsi non privetur suo mẽbro, aut parte, tamẽ privari potest suo jure, & justitiã. Quod si jam opponitur si quis seipsum interficiat, hunc in se esse injuriosum, quod se ipsum vita privet? Hic nisi intelligatur injustitia Platonis, quæ est superius descripta, quod sit, ubi mens succumbit appetitus pervim, & iujuriam, hac enim ratione dicit, nemo potest erga alium esse injustus aut injurius, nisi erga se ipsum prius fuerit injurius: prior hypoth. respondet, non enim sibi injuriam infert sui corporis, & vitæ destructor, sed Reipubl. hanc enim non volentem & invitam suo privat membro. Si quod maleficus non sit membrum Reipubl. hic quamvis responderi poterat esse tamen ho-

minem, & hac ratione etiam servum Civitatis, quomodo servi habebantur olim pro hominibus, nec tamen pro membris, succurrit, ulterius hypoth. secunda. Etsi enim non membro privant malefici Rempubl. is enim pro cive non habebitur, qui non modo suum tantummodo quæret, sed & maximè quæ sunt civitatis distrahet conturbabitq́, cum necessario civis bonus virtutem ad Rempubl. referat lib. polit. 3. c. 3. tamen privant eandem sua justitia, quàm exercere in maleficos debebit. Etsi ergò Glaucus Diomedi pro æneis armis dabat aurea, ut est apud Homer. Iliad. 6. tamen sibi ipsi non intulit injuriam, sed potius suis, ad quos pertinebat hæreditas, quandoquidem bona, quæ possidentur, non parentum, sed prolis sunt, juxta Cic. Fieri n. nõ potest ut quis afficiatur injuria non faciente aliquo injuriam alio, ut nec jus accipit nõ justè aliquo agente. ubi Con-

Symp. IIX. clud. IIX. Qui distribuit plus minusvè, ille magis in culpâ est, quam qui accipit.

17. Quod

17. *Quod ut intelligatur hæ notandæ hypoth. I. Is magis est in culpa, qui est principium actionis injustæ. II. Is magis injuriam facit, qui sponte & sciens infert, nihil enim præter suam voluntatem hic patitur, si quid patitur. ut neq; injustus est, qui injuriam facit, sed cum hoc demonstrari possit, quod sponte faciat. III. Is magis accusandus, qui causa est ut delinquatur: Cum jam plus minusq; distribuens principium sit injustæ actionis,* ἡ ἀρχὴ τῆς πρόξεως ἐστιν ἐν τῷ διανέμοντι, ἀλλὰ οὐκ ἐν τῷ λαμβάνοντι: *agat magis voluntariè, & scienter: non enim qui ignorans judicaverit facit injuriam, quo ad legitimum jus, sed is qui sciens, quandoquidem hic aliquando per rectam rationem præmonetur: Causa sit ut accipiens delinquat, in sumendo eo, quod plus est, simul etiam erit magis injustus, quippe qui plus sumit simul in eo, quod gloriam spectat, ubi tamen gloriam non meretur.*

Symp. IX. retur. *Ex quo Colligitur. IX.*

Qui plus tribuit alteri de suis, non sibi facit injuriam.

18. *Idem patet hac hypoth. Qui injuriam patitur. 1. ab alio patitur. 2. patitur invite. 3. nihil habet, quod injuriam recompenset, nisi velis vindictam publicam. Cum jam à se ipso, de quo quæritur, patiatur: patiatur sponte, & sciens: suppleat bonis majoribus, quod derogat sibi bonis minoribus, laude scilicet virtutis, honestatisq, quâ sibi polliticetur utiq, nec injuriam sibi infert.*

19. *At verò cum pulcherrima sit*

Symp. X. *hæc virtus, pulchra verò sint difficilia Concluditur.* X. Iustum esse difficilimum est. *Quod ut distinguatur hæc facit hypoth.* Ut *theoria facilior est praxi, ita facilius est scire, quid sit justum, quam justè agere. Si ergò opponitur justum etiam à natura homines scire, ergò facilè quempiam justum esse? in consequente plus erit, quam in antece-*

recedente. *Etsi enim præterquam quod natura cuivis quod justum est commendet, ex eo, ut quod sibi quis nolit fieri, alteri ne faciat, leges etiam quid justum sit definiant: tamen id ipsum præstare difficillimum est. quemadmodum facilè quidem est medico mel, vinum, elleborum, astionem, sectionem nosse, at quomodo oporteat ea adhibere ad sanitatem, & cui, & quantum tantum opus est, quantum opus est esse medicum. quam Conclus. suscipit.*

XI. Iustus non æquè facit injuriam atq; injustus. Symp. XI.

20. *Quod hoc hypoth. distinguitur: 1. Injustus agit ex habitu. 2. agit ex prælectione. 3. agit injustè semper. Cum jam justus non agat ex habitu: sed ex accidente: & semel quod Concluſum est stabit. Ex quo simul etiam alii colligunt.*

Iustum hominem, seu virum bonum, non posse affici injuria. An vir bonus afficiatur injuria.

Quod ut vindicem sic distinguo: Injuria sumitur aut pro eo, quod ex

probatum, facit ut, qui injuria notatur, deprimatur, & animum ſpondeat *ſeu quod Cic. in offic. frangatur infamia, vel pro eo quod quidem lædit, ſed tamen nec dejicit: priori ergò modò vir bonus injuria nunquam afficitur, quandoquidem ut plus premitur, eo plus reſiſtit, poſteriori verò ut maximè ſine omni eſt injuſti macula, ita maximè injuria afficitur. quo ſenſu dicebat Socrates* Ἀθηναῖοι βλάψαι με ἀδικῆσαι οὐ δύνανται. *quomodo Ariſt. dicit, eum qui plus tribuit non quidem* ἀδικεῖται, *ſed* βλάπτεται μᾶλλον. *Vnde etiam ex Ariſtot. Colligimus.*

Symp XII **XII. Non erga quoſvis æquè ſumus injurij.**

22. *Diſtinguunt hæ hypoth. I. Juſtitia verſatur circa bona externa, in quibus datur defectus vel exceſſus, non verò circa bona animi aut corporis. II. Sunt homines qui propter virtutem Dijs aſſociantur: ſunt*

qui

qui propter vitæ extremam malitiem vix homines sint ἀνίατοι καὶ κακοί: Sunt inter hos medii, qui nec extremè mali, sed mediocritèr virtuosi. Cum jam virtuti non possit plus tribui, de bonis externis: nec impietati quod minus sit; circa eos, qui inter illos medii, quibus potest plus minusq; tribui, maximè occupata erit injustitia. ESI δὲ τὰ δίκαια ἐν τοῦτοις δίς μέτεσι τῶν ἀπλῶς ἀγαθῶν, ἔχουσι δὲ καὶ ὑπερβολὴν ἐν τοῦτοις, καὶ ἔλλειψιν. Cum autem utrumq; malum sit, & injuria afficere, & injuria affici καὶ τὸ ἀδικεῖν καὶ τὸ ἀδικεῖσθαι, Conclud. XIII. Sym. XIII.

Pejus est ἀδικεῖν quam ἀδικεῖσθαι.

83. Id ostenditur hac hypoth. ἀδικεῖν 1. sponte est. 2. est cum improbitate. Cum jam ἀδικεῖσθαι sit invitum: Sit sine improbitate, conclusio stabit hac distinguente hypoth. Quod per accidens est, non confundendum cum eo, quod per se est. Cum ergò opponitur posse aliquem lædi invitèr scilicet, qui de-

sperans

sperans se ipsum interficiat, qui sanè ladente videatur multò deterior? hoc ex accidente cũ sit, ad id, quod tùm activa, tũ passiva per se habet, transferendum non erit, quemadmodum medicus pleuritidem simpliciter dicit periculosiorem morbum, quam pedis offensionem. Etsi aliquando contigerit ex offensione pedum labi atq; ab hoste transfodi.

24. Verum enim verò cum non ubiq; ἐπιείκεια jus idem possit servari, Assumenda & ÆQVITAS: De qua concl.

Æquitas. Æquitas non est planè eadem cum justo: nec est planè diversa ab eo.

25. Equidem si planè eadem esset, frustra de ageretur, sin planè diversa utiq; nec laudabilis. Conveniunt ergò quod id, quod æquum est, justum est omne, non autem omne justum æquum. quod ut percipiatur concluditur II. AEquitas est juris legitimi correctio ἐπανόρθωμα.

26. Etenim aut leges sunt singulares,

res, res singulas decernentes: aut universales, quæ res in universum definientes, post ad singulares causas applicantur. Exempli gratia lex universalis: Qui muros transcenderit capite plectatur. Jam verò cum hæc ubiq; eadem servata, summa sit injuria, ut si, qui hostem ab aris & focis patriis sit propulsurus, muros transcederit capite puniatur, æque ac is, qui vel vim legibus, vel etiam civitati creaturus sit transcendens muros, necessum est ut quod generaliter definitum in specie restringatur, τὸ γὰρ ἀόριστον, ἀόριστος καὶ κάνων ἔσιν, quemadmodum canon seu regula Lesbiæ idem quidem canon est, sed tamen applicatus lapidi non manet regula eadem, sed fit diversa: Hoc autem facit æquitas.

27. Non ergò quod simpliciter est corrigit, sed id quod aberrat, non in naturæ legibus, hæ enim immotæ sunt, sed in jure scripto, unde etiam 1. Rhetoric. cap 13. definitur id, quod præter scriptam legem justum est, quandoquidem supplementum

sit

sit eius, quod deerat. Unde ne legislator *accusari poßit, quasi non benè volens Reipubl. Conclud.* III. Non legis lator in causa est, ejus quod deest: sed rerum natura.

28. *Enimverò vel* ἔκων *omisit legislator, quod deest, vel* ἄκων. *Si volens vel potuit, & noluit, quod vel inter est Reipubl. paucas habere leges, vel ut, cum plerumq; contingant, judicis prudentiæ reliqueret singularia: Seu non potuit,* δι' ἀπερίαν τῶν γενομένων, *propter varios casus & Reipubl. tempora, cum iam hosce omnes non prævidere potuit, qui enim sic providus, qui quæcunq; providere poßit eventura homo, legem sanxit universalem, quæ tanquam regula Lesbia esset applicanda rebus singularibus, cum de quibusdam, propter causam dictam lex certa non poßit dari.* περὶ ἐνίων ἀδύνατον θέσθαι νόμον. *Neq; enim legibus res sunt accommodandæ. quod de Solone Plutarchus, sed leges rebus, quod idem de Lycurgo. quemadmodum etiam legum severitas*

ritas puniendi manſuetudine coercenda Patrit. ex Iſæo lib. 6. tit. 17.

29 *Hanc cum jure coniunctam ſemper voluit Sulpitius, quod, ut ſola principem decet, in quo dicitur clementia, ſic ipſa ius & lex, ſic imperiorum ſit luna mitis & mollis Diva, quæ lenit, quæ temperat, noxias eripit, lapſos erigit, quæ virtus eſt animi pœna aut vindicta, ad lenitatem cum iudicio inclinantis. Lipſius lib. 2. polit. cap. 13. qua nulla re proprius ad Deum accedunt Dii miniſtri, quod hinc ſalutem homines hauriunt, miſeri ſublevantur, hæc enim duo ſunt, quibus homines ad Deum accedunt propius Cic. pro Ligario: quæ amorem ſui: ſubditorum favorem: Regni perpetuitatem creat, quam qui poſſidet* ἐπιεικὴς *dicitur. cuius Concluſ.* Ἐπιεικὴς eſt, qui quod vult, poteſt, & ſequitur æquum bonumq;, qui non ſummum jus ſequitur, etiamſi legem adjuvatricem habeat.

30. *Equidem antequam agat quod bonum*

bonum & æquum in potestate sua videt eligit, electum agit, tùm interpretando, sive illud suum sit ius, sive alienum, tùm etiam obtinendo. hic enim non modò non est pertinax, sed potius de suo jure cedit, idq; æqui ratione, quam vis auxilio legis maximè nitatur Zwingerus in hoc cap.

31, Quam vis ergò Cleon apud Thucydi. nocentissimam hanc æqui viri virtutem, imperio dicat cum miseratione & blandiloquentia, lib. 3. tamen juxta sententiam Lipsii mentitur, iuxta nostram errat, quando quidem nullum imperium poterit esse vel felix vel diuturnum, quod non sit cum moderatione, moderatio autem nulla erit sine æquitate. Moderata namq; durant. sic enim claudianus?

——— Peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit.

Ex quo nec adversa: sed diversa juri. Etsi enim à jure secedit, nec tamen ab eadem discedit: Etsi corrigit legem: nec tamen eam tollit, ut nec naturam perver-

tit,

tit, sed potius magis magisq; eruit. Sed ne tibi, quod principis est, hæc ad politica differimus.

32. Æquo juri è latere quasi ponitur, nec tamen semper adversatur, id quod juxta rigidam legum severitatem, sine mitigatione pœnæ, legitimo tamen modo sontibus irrogatur, cujus virtus Ethicæ Mauriti: Nemesis lib. 2. cap. 28, cum tamen Aristot. in Rheto. ea sit, quæ indignis quæ eveniunt bona, non quidem malè precantibus, sed tamen invidis quodammodo introspicit oculis. De qua sic, quod in præcedenti disputat. conclusum, repeto. Non omninò ἀκρίβοδικαια ex Republica est exterminanda.

33. Equidem, acuta nimis securis vel semel ligno infixa, si incurvatur, & hebescit; arcus intensus nimis si & frangitur, quis nõ videt securim nimis obtusam, arcũ nimis laxatum in telo projiciendo, ligno dissecando vel quicquam posse? Jus ergò summum, semper adhibitum ut Reipublicæ terrorem incutit potius & odium, quam potentiam, juxta Salluſt. oderint

ubi locus ſsveritati- enim dum metuant, juxta Comicum, ſic licentiæ habena nimis relaxa omni portam recludet ſecuritati. Adhibebitur ergò ſummum jus, Regi ſuo ſicuti Lipſius præſcribit, & rigidè punietur, non ſemper, ſed rarò. ſeveritas enim aſſiduitate amittit auctoritatem. Seneca de Clement. Lipſius lib. 2. Civil. doctri. c. 13.

34. Opponitur ei tum ſummum jus, ſeu potius ſævitia, quando, nulla ratione habita legis, homines vel inſontes, vel ſaltem nec omninò promeriti vi ad ſupplicium trahuntur: tum malitioſa juris interpretatio, quando lex in eam caſum torquetur, ubi minimè pertinet, illèc vis eſt, ibi fraus. ſicuti omnis injuria vel aperta ſit vi, vel occulta fraude Cic. lib. lib. 1. Offi. ut ille Lacedæmonius, qui, cum triginta dierum cum hoſte factæ eſſent induciæ, noctu populabatur agros, quod dierum dicteret eſſent pactæ, non noctium induciæ. Plutarchus in apopht. Laco. Cic. lib. 1. offic.

35. Quærat ergò hic quiſpiam: An lex injuſta. Quod affirmari, ſicuti etiã negari de omni

omni omnium foro vix poterat, sed tamen sic distinguemus. Nihil est tam bonum per se, cujus abusus non detur. Etsi ergò lex sit justissima sua natura, ex abusu tamen reddi potest iniquissima.

36. *Cum verò omne justum rectum sit:* An dolo uti liceat. *dolosè ne interdum agendum? ubi sic distinguo. Dolus vel est cum utilitate publica, & sine omni malitiæ, & injuriæ, vel cum malo vel publico vel privato conjunctus. De illo J C T I. Dolo bono uti licet. hic verò ut à viro bono, sic etiam à justitia longè aberit, hujus enim fundamentum fides Cic. lib. 1. offic. fides autem nulla sine veritate. quomodo autem fraudem distinguat Lipsius, habes lib. 4. c. 14. civilis doctrinæ.*

Ethicotheologica.

I. An qui virginem consentientem abducit ei faciat injuriam? ubi sic distinguit Goclenius. Virgo aut sua vo-

luntate abducitur, eaq; pura: aut dolosa persuasione. Priori modo virgini non fit injuria, sed parentibus: Posteriori verò virgini. Quod juxta Ethicam civilem verum esse nemo ambiget, cum juxta hanc volenti non fiat injuria. Ex Christiana Ethica addimus: Etiamsi virgo adblandiatur, tamen cum fœmina vas sit imbecillius, fr. mioris autem naturæ homo tum ex naturali, tum ex divina lege imbecilliorem sublevare teneatur, tamen injuriam ipsi faciet dū nō tribuit ei, quod debebat ex natura, admonitionē nimirum, correctionem, instructionem, hoc est, caritatem & fidem.

II. Ut principia juris humani sunt, Honeste vivere: alterum non ledere: suum cuiq; tribuere. Justinia. lib. 1. tit. 1. instit. ita juris divini. Diliges Dominum Deum tuum &c. & proximum sicut te ipsum. quod ultimum sic Christus explicat. Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Matth. 7. Luc. 5. Ita sanè divinum, ut Alexan-

der

der Severus ex hac lege, Christum verè divinum hominem pronunciarit: Cum namq; delati ad eum Christiani viderentur semper Christi hoc præceptum in ore habere: Hic est divinus vir, proclamavit, hæc qui protulit, sed etiam gens barbara, quæ Deum non agnoscit, legem tamen hanc divinam agnoscat. Vnde Tartari ex ea tanquam ex universali, cum destituantur specialibus, omnes suas leges dijudicant.

III. Etsi civiliter, & juxta principium Christ. verum sit, neminem esse suæ uxoris adulterũ; tamen Christianis hoc simplicitèr asserere divino ori esset contradicere. quippe quod adulterium nõ solum in conjunctione illicita, sed & in omni illicito amore & nutu ponit. Hoc enim vult sextum præceptum: non mœchaberis.

IV. Nunquam Deus ex jure stricto nobiscum agit, sed semper ex gratia, etiam in ipso judicio. quis namq; ad judicium Dei stabit, cum ad mille quod respondeatur nec sit unum homini? precabimur ergò ut ne nobiscum disceptet. sed promeritum filij pro nostris acceptum ferat debitis.

Disputatio decima quinta

EX LIB. VI. DE VIRTUTIBUS ΔΙΑΝΟΗΤΙΚΟΙS.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam.

Ad diem XXX. Novemb.

Respondente HENRICO PICHTIO S.

THESIS I.

Cap. I. *CVm superius demonstratum sit, medium ubiq; servandum, hoc autem sit, quod recta ratio demonstrat, nec tamen satis illud erit perspicuum, nisi etiam definitum sit, quid sit recta ratio. Veluti in reliquis studiis omnibus nemo scientior erit, etiamsi sciat, verum id esse, quod recta suadeat ratio. Si enim quærenti, quid morbo adhibendum, diceretur, quod medicina præcipit, & ejus artifex, sanè peritior hic nihil futurus erit, ac si nil responsum fuisset. Vnde*

Symp. I. *concl. I.* Oportet definitum esse, quæ sit recta ratio, & quænam ejus definitio. δεῖ καὶ διωρισμένον τίς τέστιν

τέ ἐστιν ὁ ὀρθὸς λόγος, καὶ τοῦτο τίς ὁ ὄρος.

2. *Cum jam duæ sint animi partes,* τὸ μὲν λόγον ἔχον, τὸ δὲ ἄλογον, *non quod actu contrariæ sint in homine, sed quod species objectæ animam moveant rationalem, sed non utentem ratione Scaliger Exerc. 307. sect. 5. quæ rationis particeps, aut est* ἐπιστημονικὴ, θεωρητικὴ, *contemplativa, seu intellectus speculativus; aut* βουλευτικὴ, λογιστικὴ *intellectus practicus seu activus. ille contemplatur ea, quorum principia se aliter non possunt habere, & est vis accommodata scientiis: hic autem ea, quæ possunt aliter sese habere, & est vis, colligendi rationibus accommodata, quandoquidem, dum deliberat, rationes colligit, ex iis quæ aliter sese possunt habere:* οὐδεὶς δὲ βουλεύεται περὶ τῶν μὴ ἐνδεχομένων ἄλλως.

3. *Verumenimverò hæ potentiæ non sunt contrariæ, ut nec potentia visiva, aut tactilis, sic enim in uno non consisterent subjecto, sed diversæ ex diversis objectis, Zabarella lib. de facultat. animæ c. 13.*

quæ enim genere sunt diversa, etiam partes animæ genere diversas habent accommodatas naturæ Arist. quæ ergò sit præstantissima, ut pateat. Conclud. II. Cujusq; finis & munus indagandus.

Symp. II.

Caput II. 4. Equidem cum ex fine habitus quisq; suo cognoscatur, hic utriusq; præstantiam demonstrabit, tum, si, quot principia sint rerum agendarum patebit, de quibus con-

Symp. III. clus. III. Principia rerum agendarum duo sunt: Νοῦς καὶ ὄρεξις, Mens & appetitus.

5. Enimverò etsi sint quatuor facultates in homine: vegetativa: sensitiva: mens: & appetitus: tamen præter has, quas in conclusione posuimus, principium agendi non esse, sic demonstratur: Principium agendi 1. est vel ad bonum & malum, vel ad verum & falsum. 2. est tantùm in homine. cum jam sensus sit in brutis, in quæ cum nec velle cadat, sed instigatio, Scaliger. Exercit. 307. sect. 4. non agantur, sed impellantur, ab omni actione alienis-

alieniſſima quoq; erunt. & vegetatio præterea ſit in ſtirpibus, in agendo locum tantùm habebunt principia dicta duo.

6. *At verò nec omninò ſenſus à principijs excluditur, ſed una cum mente pro principio cognitionis habetur, cum tamen in eo differant, quod* αἴσθησις *verſatur circa ſingularia & confusè.* νοῦς *verò circa univerſalia & diſtinctè.*

7. *Τὸ* διανοητικὸν *ergò ut eſt affirmatio & negatio,* κατάφασις *&* ἀπόφασις, *ita τὸ* ὀρεκτικὸν *appetitus eſt perſecutio, & fuga* δίωξις καὶ φυγή.

8. *Itaq; τὸ* λογιστικὸν, *quod in appetitu ſimul eſt, erit, ut quod* ἐπιστημονικὸν *verum vel falſum, bonum vel malum judicabit, ſequatur:* τὸ ἐπιστημονικὸν, *ut quod verum & falſum, bonum vel malum τῷ* λογιστικῷ *repræſentet.*

9. *Ex quo patet, cum præſtantiorem eſſe intellectum ſpeculativum, quod dirigat non tantùm prudentiam, ſed &* δύναμιν ποιητικὴν, *cum practicus dirigatur, tum quod & tum demùm ſit proba electio, quando appetitus rectæ rationi ſubjicitur.*

& in omni actione proba necessum sit, appetitum cum recta ratione conjungi.

10. Jam verò ut actionis principium est προαίρεσις præelectio, non quidem οὗ ἕνεκα, sed ὅθεν ἡ κίνησις, non cujus gratia, sed à quo, quæ si sit bona, actio quoq; futura est bona, sin mala, actio quoq; mala, ita τῆς προαιρέσεως ἡ ἀρχὴ est αἰσθησις καὶ ὁ νοῦς. non quidem cujus gratia, sed à quo: ita intellectus practicus est principium actionis quo, homo verò principium quod.

11. Verum enim verò ne προαίρεσις frustrà agat, sed suis terminis definiatur

Symp. IV. conclud. IV. Hæc tantum sub præelectionem cadunt, quæ futura sunt.

12. Etenim cum id præeligendum sit, quod in nostra est potestate, & quod fieri potest, nemo sanè præeliget, quod factum est. Quod ut constet notanda hæc hypoth. I. Præelectio ibi est, ubi consultatio 2. pendet à nostro arbitrio 3. non debet fine suo carere. Jam cum ea,

quæ

quæ præterierunt, non cadant sub consultationem, quod fieri non potest, quin sint; non pendeant à nostro arbitrio, ut fiant, & si quid horum præeligamus, frustra ideò sit futurum, quod id, quod factum est, infectum reddi nequeat, etiam à Deo, juxta sensum Agathonis,

μόνου γὰρ αὐτοῦ ⊂ θεὸς στερίσκετ)
ἀγέννητα ποιεῖν ἅσυα ἂν ᾖ πεπραγμένα.

Nam hujus unius rei etiam Deus potestate privatur,
Ut efficiat non facta, quæcunq; jam facta sint.

manifestum est, quod conclusio voluit.

13. *Verum cum virtus versetur circa verum, sitq; duplex, verum quoq; duplex erit, speculativum, circa quod speculans, & practicum, quod ultra speculationem pro fine simul habet actionem, seu persecutionem boni, & fugam mali. ut namq; appetitus, & mens in actionibus est principium, ita* νοῦς, *quod verum est cognoscit, & appetitui tanquam bonum subjicit. apprehenditur enim bonum, prout est quoddam verum,*

appe-

appetitur autem non ut verum, sed ut bonum. Et ita quamvis re unum sit verum & bonum, ratione tamen differunt. Zabalib. de facult. animæ c. ult.

14. Jam ergò ut res altius declaretur de principiis, quibus verum enunciat animus vel affirmando, vel negando concluditur. Virtutes animi quinque sunt. τέχνη; ἐπιστήμη: φρόνησις; σοφία; νοῦς.

Cap. II I.

15. Qui numerus ut vindicetur has præmitto hypoth. I. Virtus tantum veritati gaudet: non fallit: II. Non est necessarium, ut principali posito, minus principale exprimatur: quandoquidem illud hoc in se comprehendit. Cum jam ὑπόληψις & δόξη existimatio, & opinio etiam sint falsæ, opinamur namq; multa, quæ tamen falsissima sunt, qualitèr sectatores Copernici, qui cœlum stare, terram circumvolvi somniant, cum tamen Copernicus ipse, si reviviscceret, ex hypothesi cœlum stabile asseruturus esset, & simul fallant & fallantur opinantes, virtus equidem nõ erunt. Quod

si verò

siv. opponetur habitum instrumentalem hic omitti? Secunda respondet. quamvis enim logica non exprimatur, tamen cum hæc sub ipsa scientia tanquam principaliori comprehendatur, non erat necessarium eandem exprimere Zabarella lib. 1. de natur. logic. c. 11.

16. Equidem cum res sint aut sempiternæ & necessariæ, sive sempèr sint & nunquam fiant, sive fiant sed per naturam certis causis, certo ordine, & fine operantem: aut contingentes quæ ab hominum voluntate dependent. Zabarella lib. 1. de natura log. c. 2. circa illas virtutes erunt τὸ θεωρητικὸν Intelligentia, scientia sapientia: Circa has verò τὸ λογιστικὸν prudentia & ars.

17. Differunt ergò primò objecto, quandoquidem illæ versantur circa necessaria, hæc circa contingentia: 2. modo operandi. aliæ enim cognoscunt tantum, idq; vel sine medio, ut intelligentia, vel per medium ut scientia, & sapientia, aliæ in cognitione non quiescunt, sed finem alium assumunt, vel agendi, ut prudentia: vel efficiendi

ficiendi ut ars. 3. formæ: alia enim est composita, ut intelligentia, quæ constat ex intelligentia & scientia: reliquæ simplices. Itaq; de scientia Concluditur. I.

Scientia. Symp. I.

scientia est habitus demõstrativus, quo causa cognoscitur, propter quam res est, quod illius causa sit, & non posse rem aliter sese habere. 1. post. analyt. c. 2. 20. Et enim cum duplex sit necessitas, altera in ipsa re, cujus scientia investigatur, seu etiam quæ scitur, altera in animo scientis, Zabarella in 1. post. analyt. cap. 2. tria etiam ad scientiam necessario requiruntur: Causa scilicet, à qua res dependet, & sine qua esse non potest. 2. ut causa ipsa esse intelligatur, non enim sine hujus intelligentia datur scientia, quod scire, est rem per suam causam cognoscere. 3. & ut intelligamus rem eam aliter esse habere non posse Aristot. cita-

Symp. II. to loco, unde concluditur. II. Objectum scientiæ non sunt res contingentes sad necessariæ, ἐξ ἀνάγκης ἄρα ἐστὶ καὶ ἐπιστητόν. 21. Id

21. *Id vel hinc liquet, quod arbitramur, id demum nos scire, quod aliter se habere non contingit,* μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως ἔχειν *hoc autem est necessarium, cum contra, quod contingit, ut aliter se habeat,* ἔξω τοῦ θεωρεῖν γίνεται, *contemplationem nostram præterfugiat, sit nec, nec a uti verbi hæc explicat Zwingerus: itaq; Concl. III. Scientia doctrina comparatur, & id quod sub scientiam cadit.* Symp. III.

Etsi enim rerum sit necessariarum, atq; adeò æternarum, τὰ γὰρ ἐξ ἀνάγκης ἀεὶ ἁπλῶς ἀίδια ὄντα, *tamen per medium, quod est universale, cognosci possunt. quod equidem inductione indagatur, ejus namq; quod est universale non datur ratio, aut causa superior, per quam manifestetur, ipsa tamen scientia per demonstrationem tanquam instrumentum innotescit. qui est Syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, maximè notis & causis conclusionum lib. 1. poster. c. 2.* Demonstratio.

22. *Ars verò, quæ græcis* τέχνη *dicitur* παρὰ τὸ τυχεῖν *vel* τίκτειν, *vocabulum* ARS.

Cap. IV. bulum est ὁμωνυμον. Siquidem impropriè dicitur comprehensio cujusq; disciplinæ per præcepta: quomodo etiam artem alij dicunt, quod arctis regulis cuncta concludat: quomodo à Luciano definitur, σύσκημα ἐγκ λήψεως συγγεγυμνασμένων propriè autem id quod opus exterunm efficit. Cujus Concl. I. ἕξις τις μετὰ λόγυ ἀληθὲς ποιητική, ut contra ἀτεχνία μετὰ λόγυ ψευδὲς ποιητικὴ ἕξις.

23. Equidem is propriè cum dicatur ποιεῖν, qui opus in alio efficit subjecto, in materia ejusmodi, versabitur quæ contingit vel esse, vel non esse, quemadmodum ipsa actio, sed tamen nec actio est effectio. ἕτερον δὲ ἐστι ποίησις καὶ πρᾶξις, nec alter ab altero propriè continetur, quamvis interdum promiscuè sumantur abusivè, quod superius demonstratum.

24. Jam verò cum ipsa versetur non modo in ijs quæ contingit καὶ ἐνδέχεσθαι καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι unde ab Agathone assimilatur fortunæ, quando dicit τέχνη τύχῃ ἔστερξε καὶ τύχη τέχνῃ, ars fortunam amavit, fortuna

tuna artem, quod altera alteram videatur adjuvare multum & impedire, quod τύχη τέχνην ἐυρήκε juxta Menandrum. Idoq; etiam a scientia differat, quod hæc tum sit rerum necessariarum, tum animum scientijs immobilem planè reddat, sola veri contemplatione contenta Scaliger Exercit. 307. distinct. 33. & quamvis utatur interdum principijs & scientijs, tamen finem suum in singularibus terminat, Scaliger Exercitat. 307. sect. 31. Sed etiam ἐν τῇ γενέσει versetur, naturæ, cujus proprium est gignere, aliquo modo erit æmula & imitatrix, quippe quæ id etiam agit, quod natura non potest, ut boves aratro jungere, terram scindere, quemadmodum docet Scaliger exerc. 101. sect. 12. unde ipse colligo. Ars cum natura convenit, & discrepat.

23. Prius planum facio hac hypoth. Natura. 1. agit certo modo, & ordine, quod exemplo est mundum non sine consilio regi. 2. producit sibi suæq; formæ similimum quid. 3. ab im- Ars & natura.

perfectiori ad perfectius progreditur semper. 4. non consultat. Cum ergò & ars eodem modo sese habeat, in quibusdam etiam cum illa conveniet. Posterius sic prob. Ars. 1. naturam proximè præsupponit. 2. non efformat res verè res, sed veri imitatrices, hoc est, non substantialia mutat, sed accidentia introducit. 3. res tantum modificat. 4. quare etiam juxta Plotinum in externa superficie præcipuè versatur. 5. est principium ἐν ἄλλῳ 6. & extra se opus quiddam progignit. Cum v. natura Deum præsupponat: efformet res veras: procreet ipsas substantias: det rebus suum esse: In interioribus elaborandis magis occupetur: & sit principium ἐν αὐτῷ lib. 2. physic. c. 1. non tantum differet ab arte: sed etiam longè erit potior.

An ars substantias possit creare.

24. Ut autem maximè ars naturam adjuvat, tamen nunquam probabitur, eam naturæ opera moliri, hoc est, substantias creare,

creare, quod evinci poterat ex prioribus. Quæ verò opponuntur, his tollo hypoth. I. Quod modum præscribit rei alicui, non continuò ipsam rei essentiam producit. Sic enim qui modum præscribit ex auro conficiendi statuam, ipsum æs produceret. II. Quod vi aliena efficitur, id non tribuendum viribus proprijs. Hoc namque modo, qui beneficio parentis procreatur, se ipsum progigneret. III. Multa ars perficere potest, applicando naturalia activa passivis, ijs in quibus latet potentia, quod post actu extrahitur. Vti per ignem ex auro natura elicit aureum spiritum. Quod si ergò opponitur per artem Dædalum statuas fabricasse, quæ huc illuc discurrerint Arist. lib. 1. polit. c. 3. Architam columbam ligneam confeciſſe, ita ut medio aere volitaret, prior est in responsione hypoth. quippe etsi hi per artem motioni, quæ natura inerat cujusq; corporis formæ, modum

dum præscripserunt occulto quodam artificio: quemadmodum etiam Architas in obsidione Syracusarum artificio effecit, ut navim onerariam, infiniti penè ponderis, unus adolescens unco traheret, & attolleret, tamen ipsam rei naturam nec immutarunt, nec substantias novas crearunt, qua propter è miraculorum numero ejusmodi relegantur, etsi pro mirishabeantur, cum illic nihil agat natura hîc a principium motionis substernat, quod post ab arte promovetur & dirigitur. Si quod incantatores sæpé naturam immutent? hoc si quid est, quod tamen ut difficile probabitur, ita ægrè à nobis concedetur, diabolorum vi efficitur, qui ipsi, ubi tamen Augustinus in contrarium it lib. 3. de Trinit. c. 7. & cum hoc Origines homil. 13. in Marcum, nec veros exhibuere serpentes, sed adumbratos Exodi. 7. cum nec potuerint è pulvere excitare pediculos Exodi 8. solius namq; Dei est ut creare, sic substantiam diversam transmutare, ex quo etiam Christus ipse hinc indè suum primum declarare voluit majestatem,

tem, quando aquam in vinum mutasset. Joann. 2. Si quod ars Chymica æs in aurum mutet? quam vis hîc satis alicui esse poterat hypoth. 3. quippe ubi naturalia activa, ut ignis, & quæ sunt alia, applicantur ari, & quæ huic adjunguntur, quorum vi, qui in metallo latet, succus elicitur, dubitare quis non immeritò possit an hoc sit verum aurum. Sed tamen ubi etiam vitrum ex arena & materijs alijs extorquetur, satis mihi erit hypothesis postrema. videat tamen qui velit de hoc Colleg. conimb. in lib. 2. physic. cap. 1. quæst. 7. artic. 1. Quod autem lib. 7. physic. c. 3. in omni generatione ἀλλο fieri asseritur, in alteratione ἀλλοῖον, ex eo tamen nemo colligere poterit, in generatione artificiali substantias generari. cum hæc, ut per similitudinem dicitur generatio, sic etiam in generatione accidentium, generationem substantiarum, quæ est natnræ tantum, æmuletur.

25. Cæterum ut in fine suum habet virtus officium, sic & ars. horum ergò primus consistit ἐν τῷ θεωρεῖν contemplando

probè, quamnam materiæ subjectæ formam sit introducturus ἐργάζηται τεχνάζεται, *ut secundum artem rectè operetur, ad materiam aliquid vel addendo, vel detrahendo, vel transportando, postremus* ἐργάζηται γεωργὸς καὶ ποιητὴς *opus producendo.*

Cap. V. Prudentia

26. *Verum ut ars ministrat, sic prudentia imperat, cujus concl. I.* φρόνησις *est virtus* juxta rectam rationem agendi ea, quæ homini vel bona vel mala sunt, non in parte, sed in universa vita. *Non in parte dico, quod non agit quæ ad robur, ad sanitatem ad divitias, sed ea quæ ad universam vitam commodant, & ad felicitatem deducunt. quod cum fieri non possit sine consultatione* officium *ejus erit tum sibi benè*

Officium

consulere, qui enim sibi non sapit nec quicquam sapit juxta Cic. tum aliis, omnia enim officia ad utilitatem publicam debemus conferre juxta eund.

Objectum

27. *Versabitur ergò circa τὰ πρακτὰ, in his enim qui consilio valuere prudentes dicti sunt, quod cum sine temperantia vix fieri possit, quem enim voluptas aut dolor per-*

pervertit, huic nec principium agendi apparere potest verũ, intemperantia n. consilia pervertit, unde φθαρτικὴ ἀρχῆς *dicitur quomodo* σωφροσύνη σώζει τὴν φρόνησιν, *temperantia græcum suum hinc sortita est nomen. Ne autem cum scientia & arte eadem habeatur conclud.. II.* Neq; est Symp. II. scientia, neq; ars.

28. *Prius sic ostenditur. quod sub scientiam cadit nunquam potest aliter contingere. cum autem in prudentia sit consultatio, consultemus a. non nisi de contingentibus quæ nostra sunt potestatis, scientia non erit. Posterius sic. 1. potest esse artifex bonus qui tamen, sit civis pessimus. 2. artifex cum sponte peccat lenius peccat, quam cum invitè, est enim hoc signum imperitiæ, illud peritiæ. Cum jam vir prudens non possit esse nisi vir bonus: tum gravius culpetur, cum sponte peccat, illud enim erroris est, hoc malitiæ, prudentia ars non erit.*

29. *Quotuplex autem sit prudentia, tum dicetur, ubi quid* νῆς & σοφία *sit explicavimus. De priori ergò sic Concl.:* νῆς Cap. VI.

Intelligẽtia. est habitus mentis, qui princi-

Symp. I. pia scientiarum cognoscit.

30. *Horum autem Platonicis alia ita sunt naturalia, ut insint* ψυχῇ τῷ λογικῷ, *veluti enim oculo inditum est, ut statim ab ortu possit videre infans, sic menti quedam ineſſe asserunt, quod nemo tam infans sit, quem cognitio lateat plurus, aut minoris. Infanti duo poma apponito, uno recepto, alterum item reposcet, Scaliger Exercitat. 307. sect. 18. ubi tamen contra Arist. secundum* δύναμιν *tantum omnia principia animis nostris indita asserit. 2. post. cap. ult. ita ut quemadmodum coloris speciem oculus non ab utero perceperit, sed* δύναμιν *habeat omnia ea, quæ colorata sunt discernendi, ita principia illa cum animo non gignantur, aut habeantur, sed post ex singularibus colligantur. lib. 3. de anima c. 4.*

Cap. VII. 31. *Verum, enimverò ut scientia est*

Sapientia. *conclusionis ex principijs, intelligentia principiorum notitia: sic qui cum principijs Conclusionem habet, dicitur sapi-*

ens

ens cujus Concl. I. σοφία est habitus Symp. I.
mentis, quo tum principia, tum
conclusiones ex ijs perfectè in-
telligimus, seu est intelligentia, & scien-
tia rerum præstantißimarum. ex quo con-
clud. II. Objectum habet duplex Symp. II.
remotum & propinquum. Illud
sunt res omnes, quæ sub cognitionem ca-
dunt, sed aternæ, hoc rerum æternarum
causæ seu principia, & conclusiones. in qui-
bus observat cautè, ne erretur circa princi-
pia, & ne ex his falsò concludatur. Est n.
sapientis μὴ μόνον τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν εἰδέ-
ναι, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς ἀληθεύειν
ex quo III. Collig. Non est pru- Symp III.
dentia.

33. Hoc ostenditur hoc hypothes. 1. non hic, qui sapiens, prudens est, multi enim fuere sapientes, qui tamen rebus gerendis inepti fuerunt. 2. una est sapientia. 3. est in anima contemplativa. 4. contemplatur

res necessarias & universales.

5. & est præstantior. Cum jam *prudentia sæpius sit cum sapientia: habeat multas species: sedem suam in practica animi facultate habeat: deliberet de actionibus caducis, & singularibus, nec erit sapientia, & multò inferior. Secundum tamen ut constet sic Conclud.* Prudentia alia est communis : alia propria, seu publica & privata.

33. *Hæc est, qua sibi quisq; utile prospicit; illa, qua alijs. idq; vel œconomia, œconomica, domestica: vel politiæ, & Reipublicæ, politica, civilis: Eaq; vicissim vel leges sancit & explicat,* νομοθετικὴ, *legislatoria* θεωρετικὴ: *vel* πρακτικὴ, *quæ rectè administrat Rempubl. vel deliberando de futuris,* βουλευτικὴ, *vel judicandi, de præteritis & præsentibus* δικαστικὴ: *tum passiva, quæ Reipubl. legibus sese accommodat.*

34. *At enim cum virtus hæc in singularibus versetur, sensu usu exercitatione & experientia opus habeat conclud.* Iuvenes

vones non possunt esse prudentes. *carent namq; experientia quod longum tempus experientiam efficit. quamvis sciant, & intelligant, unde collig.* Prudentia nec est intelligentia, nec scientia. *Quod sic ostenditur. scientia est universalium, & utitur ad demonstrationem prioribus: Intelligentia est terminorum, quorum non potest dari ratio, & qui sunt primi. Jam cum prudentia sit ultimi τὸ ἑκάτου, singulorum, utatur inductione, quod conclusum est manet. ex quibus hoc emergit porisma.* Juvenes citius fiunt mathematici, quam prudentes. *cum enim experientiam faciat multitudo temporis* πολλῆς γὰρ χρόνου ποιήσει τὴν ἐμπειρίαν, *hujus etiam principijs credere est difficilius, quod sunt remota, cum mathematicis fidem continuò habeamus, quòd à rebus mens ea abstrahat, & sint proxima.*

35. *Jam ministræ & sociæ quæ sint prudentiæ videndum, quorum prima,* Cap. VIII.

εὐβουλία.

Bona consultatio.

Cap. IX. εὐβουλία *cujus Concluſi I.* bona consultatio nec eſt quæſtio: nec ſcientia: ne conjectatio εὐστοχία: nec opinio. Sed rectitudo conſilij. *Primum patet, quod differunt ut genus & ſpecies: ſecundum quod non quærimus de iis, quæ ſcimus. tertium, ut & quartum quod nunquam ſine ratione eſt bona conſultatio, illæ ſæpiſſimè. Rectitudo autem non eſt ſcientiæ, in hoc enim non eſt erratum,* οὐδὲ γὰρ ἁμαρτία, *aut opinionis cujus rectitudo veritas. Recta ergò erit conſultatio. 1. cum finem bonum aſſequitur. 2. cum utitur mediis licitis. 3. & adhibetur oportuno tempore. Cum contra mala finem conſequatur malum, adhibeat media illicita, idq; non ſatis oportune, quomodo & quando, ita ut nec hic bona ſit conſultatio, quando per media illicita bonum finem conſequimur, ſed cum per legitima. unde conclud. II.* εὐβουλία eſt rectitudo conſilij, qua finem bonum, honeſtis commodisq; me-

medijs in agendo consequimur. Sagacitas.

36. *Altera est* σύνεσις *ingenij perspicacitas, aliis docilitas, cujus contrarium* ἀσυνεσία *& Concl.* facultas rectè intelligendi & judicandi de rebus, circa quas prudentia versatur. *Hæc vis est Euripidi ingenio divinitus datæ, nec est opinio, quod hæc omnes sunt præditi, illa non omnes: nec scientia, quod hæc semper circa æterna, illa circa singularia agenda: nec prudentia, quod hæc illam antecedit, quæ namq; prudentia consuleæ vit, de his* σύνεσις *rectè judicat, quare illa* ἐπιτακτικὴ, *hæc* κριτικὴ. Cap. X. Cap. XI.

37. *Tertia quæ cum priore habet genus* κρίσιν *est* γνώμη, *quæ vel mentis significat agitationem: vel enunciationem rerum agendarum universalium: vel judicium viri æqui & boni, qua ultima significatione hic sumitur cujus Concl. I.* Sententia. Symp. I.

Est viri æqui & boni de dictis & factis aliorum hominum verum & rectum judicium. *Idq; exercetur partim benignè interpretando, ea quæ*

ab aliis

ab aliis vel fiunt, vel dicuntur, & dicitur ἐυγνωμοσύνη: *partim in condonando ea, quæ ab aliis per imprudentiam fuere commissa, & dicitur* συγνώμη. *unde Conclud. II.* γνώμη non est σύνεσις.

38. *Etenim* σύνεσις *recta progrediens de facto quale sit simpliciter pronunciat:* γνώμη *autem in judicando adhibet æquitatem, quare illa sese ad hanc habet, qualiter justitia se ad æquitatem & cõtra.*

39. *Verum obveniat hic quispiam cur in*
Cap. XII. *Ethicis de sapientia & prudentia agatur, cum tamen in actione nihil valere videantur? quod etsi sic videatur, reverata men aliter sese habet, & sanè de sapientia nullum est dubium, quippe quæ, ut est præstantioris partis in animo, sic præcipuam hominis facit beatitudinem, quod ejus operatio præstantißima. Prudentia autem sic necessaria ut nec ulla virtus sine hac possit esse perfecta, quippe quæ omnes non nisi mediocritate definiuntur, quam unica hæc ostendit. Ita etiam ut sine ea virtus moralis esse non possit Ethic. Maurit. cum tantum cæteris virtutibus antecellat, quantum*

tum visus reliquis sensibus juxta Solonem itaq; & hoc Colligitur. Virtus universa seu moralis non est una cum prudentia.

40. *Quod vel inde patet, virtus moralis. 1. hominem disponit. 2. scopum reddit rectum. Prudentia autem hæc perficit: & media ad felicitatem subministrat. idq; eo facilius, quod Ianus est bifrons, in singulis rebus quid eas antecedat, quid eas sequatur animadvertens, & sic eas aggrediens. Quamvis enim SOLERTIA, græcè δεινότης, quæ est naturalis quædam vis, & dexteritas excogitandi ea media, quæ ad finem actionis alicujus pertinent, interdum juvet prudentiat, unde quarta dicitur ministra, tamen sine prudentia hæc nihil est, Quod sic ostendo. Virtus & prudentia tantum in hominibus probis bonisq; sunt. Cum jam solertia inveniatur etiam in maximè improbis, quod dictum est stabit. Quamvis tum habeat*

cum

cum prudentia affinitatem. ut nec prudentia perfecta sine hac comparari possit, & ipsa, accedente rerum usu & virtutis exercitatione, facile in eam abeat.

Cap. XIII. 41. Sunt ergò virtutes aliæ naturales, impropriè dictæ virtutes, quæ non nisi naturales inclinationes sunt ad virtutem, qualis sunt εὐβουλία vis benè consulendi: ἀγχίνοια vis inquirendi, discernendi, συνεσις intelligentia conficiendi inventum & conclusum, aliæ morales, ἢ δικαιοσύνης κυρίως sic dictæ, quarum differentia hac hyp. Colleg. 1. Veræ virtutes semper sunt in bonis, quod his tantum decus verum contingit, quod est in virtute positum Cic. lib. 10. Epist. famil. 2. semper prosunt tum possidenti, tum alijs, nunquam nocent. etsi enim virtus aliquando sit occasio alicujus mali, seu vitij, tamen actus ejus nunquam obest, quemadmodum etiam nemo eo abutitur. 3. non possunt à se se mutuò separari. 4. nunquam sunt sine prudentia, quare nec unquam

quam sine actione. Sunt enim in virtute oculi & manus. Inspicienda enim virtus & agenda, Vives in Satellit. Cum jam impropriæ etiam sint in viris malis, interdum in infantibus, imò vestigia earum appareant in brutis: sæpè obsint, cum à recta declinent ratione, & sint sine prudentia, sæpius destituantur actione, à virtutum choro excludentur longissimè. sunt tamen cum virtute, quemadmodum enim in δοξαστικῷ solertia & prudentia, sic in morali ὡι τὸ ἠθικὸ una est naturalis, altera propria.

42. Hinc colligo porisma ta quædam I. Ut virtus moralis nunquam est sine prudẽtia sic prudens nemo nisi vir bonus, sic nemo vir bonus nisi prudens, fieri n. non potest ut bonus sit proprie, κυρίως sine prudentia, neq; vir prudens sine morali virtute. II. Vir prudens omnem habet virtutem. III. Qui unam virtutem perfectè habet, omnes virtutes habet, quod nunquam separantur.

Quod Agathon: Deus hoc tantum privatur, ut efficere posſit non facta, cum eo convenit Hieron. Audenter loquar, cum omnia posſit Deus, ſuſcitare non poteſt virginem, poſt ruinam. Nec tamen id derogat potẽtiæ ejus, omnibus modis infinitus, non ſolum quo ad eſſe ſuũ, ſed & quo ad objectum. unde potentia ejus Seneca dicitur invicta, Poẽtis frequẽtèr õnipotẽs, Cic. Nihil eſt quod Deus efficere non posſit, & quidem ſine ullo labore. Vtrumq; ſic evinco. I. Non poteſt Deus, quod ejus excellentiam lædit Pet. Lomb. II. Non poteſt, nec vult etiam Deus. quod juſtitiæ ejus contrarium. quod non poteſt facere injuſta, quod ipſe ſumma juſtitia. III. Quicquid non involvit contradictionem, illud eſt poſſibile per omnipotentiam Dei. IV. Deus ſeſe ipſum negare non poteſt, alias n. caderet à ſe ipſo, quod à veritate recederet. Quod ſi jam opponas, Deum non poſſe omnia, quod non poſſit mentiri? 1. reſpondet hyp. quippe cum Dei potentia ſit non poſſe mentiri, nullatenus etiam poteſt eſſe omnipotens, hoc qui

poteſt.

potest. Sic n. juxta hyp. 2. & injustus esset, & juxta. 3. sibi ipsi contrarius, Deus n. si mentiri potest, non est prima veri regula, quod defectibilis, & est prima veri regula, quod Deus. Quod si deinde non est omnipotens, quod verbum non potest progignere verbũ? tertia & quarta respondent. Quandoquidẽ si verbum gigneret verbum, verbi tũ in infinitũ fieret generatio, tũ sese ipsum negaret, hoc n. non esset verbũ divinũ, quod vinceret & non adæqueret essentiam divinam. Si deniq; qui tum non sit omnipotẽs, quando id, quod factum est, infectum reddere nequeat: E. g. si efficere non possit ut homo, qui est lapsus, non sit lapsus? hic cum ferè omnes hyp. respondeãt, præsertim. 1. 2. & 3. August. respondebit, Deus qui est summa veritas non potest facere, ut quæ vera sunt, sint falsa. Quod si nec hoc sufficit, subveniat Amb. Quid impossibile Deo? non quod virtuti arduum, sed quod naturæ ejus contrarium, impossibile enim istius non est infirmitatis, sed virtutis, & Hierony. sicuti nõ potest facere Deus, ut res dum est, non sit, ita neq; ut præterita non fuerint.

Contra Faust. c. 5.

lib. 6. Epist. 17.

Disputatio decima sexta

EX LIBRO VII. DE VIRTUTE HEROICA Semivirtut. & voluptate

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

ad diem VII. Decembris

Respondente

M. BURCHARDO Gryphis. P.

THESIS I.

Cap. I. *VEmadmodum natura vel mediocris, vel planè divina aut immanis, vel etiam disposita ad mediocritatem: ita virtus alia est communis, sed tamen perfecta alia inchoata & imperfecta: alia Heroica. quippè cum tres sint hominis gradus, Piccol. gradu 6. cap. 3. tria fugienda, vitium, incontinentia & feritus, tria etiam erunt laudanda, virtus, de qua hactenus, continentia & Heroica virtus, de quibus jam.*

2. *Equidem hæc virtus Heroica dicitur*

citur, vel quod ejus possessores pro divinis hominibus, vel etiam Semideis habuerunt veteres, veluti Lacones σὲ θεὸν ἄνδρα φασὶν, ubi quempiam valdè sunt admirati, vel ἀπὸ τοῦ ἔρωτος: quod quasi terreni sint dæmones: vel, quod Platoni in Cratylo placet ἀπὸ τοῦ ἔρωτος: quod fingantur oriri ex mutuo amore Dei & hominum: cujus conclusio. I. est habitus animi, non tam humana industria comparatus, quam divina gratia concessus, ejusmodi actionibus perficiendis, quæ alias humanis viribus præstari non possunt: excedit namq; humanam sortem, unde dicitur divina, splendor & eminentia virtutis. Symp. I.

3. Etenim actio divina vel peculiariter & singulariter erga homines sese exerit, quam nemo experitur, nisi regenerati, hac enim justificantur, sanctificantur & post glorificantur electi. Vel communiter circa res universas, & hoc tamen vel universaliter, quomodo omnes creaturæ sustentantur, propagantur, conservantur: vel specialiter in moderandis

causis secundis, in edendis miraculis, in communicatione donorum naturalium. Ad hanc ergò referenda hæc virtus quæ in Ethnicis est, quippè etsi specialiter à Deo & his fuit concessa, quemadmodum de Alexandro Magno 49. cap. Jeremias expressè profitetur v. 19. quis erit electus, quem præponam ei, tamen nullatenus ex gratia sanctificante. Gocl. quæst. 67. cum namq; nullibi Dei actio generalis absit, tamen hîc prævalet.

4. Differentiam ergò sic colligo. Virtus Heroica. 1. est Dei donum speciale. 2. præsupponit naturæ præstantiam singularem seu impetus naturæ singulares. 3. motus habet excellentissimos. 4. quapropter est in paucis. 5. ijsq; magnus. 6. felicitèr, & sine mora quod vult perficit. Virtus autem communis actionibus nostris comparatur: communem naturam præsupponit: motus habet remissiores: est in pluribus: ijsq; mediocribus, unde & humana dicitur, cum nemo adeò ferreus sit, qui non mitescere possit, si modo culturæ patientem accommodet aurem, & sæpius

pius etiam tardatur ut difficile suum finem attingat.

5. Nec verò cum Eustratio dixerimus hanc virtutem esse absolutam perturbationum evulsionem, cum Aristot. τὴν ἀπάθειαν superius in vitio posuerit, imò nec pro homine habeat eum, qui nullo affectu trahatur, & quāvis ex eodem id obtineat, quod Diis similes, quare etiam sine affectib. tamen cum ipse Deus dicatur irasci, misereri, lætari, quamvis hoc per ἀνθρωποπάθειαν, Achilles etiam ad res magnas gerendas pro patria ex amore in patriā ducitur, ipso labore delectatur, ipsa virtutis pulchritudine magis, quàm præmiis incitatur. quemadmodum etiam Augustinus cives sanctæ civitatis in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes dicit metuere, cupere, dolore, gaudere. lib. 14. de civit. Dei c. 3. Vide Piccol grad. 6 cap. 7.

6. Nec etiam vel specie distinctam ab humana hanc asserimus, quod tamen visum Thomæ Aquinati: & Piccolom. placet, etiamsi distinguat grad. 6. c. 5. Vel ad solam mentem referimus id quod

est heroicum, cum in omni virtute detur eminentia, prudentia in Salomone eaq; plus quam humana: Justitia in Moyse & Aristide regenerato & Ethnico: Fortitudo in Agomemnone: quam vis potissimum reperiatur in δυμικῷ *quod pro objectis & fine habet gloriam, honorem: victoriam, præcipue tamen virtutem ipsam.*

7. Verùm enimverò etsi juxta magnitudinem & excellentiam sit una, tamen ut juxta singulas species virtutis differt, sic etiam gradu est diversa. Interdum enim motus tantum animadvertitur heroicus, & est διάθεσις *ad eam, ubi pertinet Zelus & motus Davidis præliantis, & vincentis adversus Goliathum interdū ipsa virtus, sese exercet, qualis justitia in*

Symp. II. *Salomone & Arist. Vnde Conc. II. Huic excellenti virtuti* opponitu ἀηρότης seu feritas. *Quod hac probatur hypoth. Virtus heroica. 1. ad divina hominem elevat, seu homines reddit Deos. 2. est propriè Dei, quod præstabilius quid virtute hic mereatur. 3.*

est ra-

est rarissima, id enim quod excellens rarum est, ut quod rarum carum Arist. in Rhet. Cum jam ἀκρότης *ibidem sit rara, cum tantum exerceatur inter barbaros, & homines immanes. Sit propriè bestiarum, unde & nomen suum hausit: & hominem humana natura exuat, induat beluina, ita ut umbram hominis tantum retineat, conclusio manifesta est.*

8. *At verò hoc vitium vel ex morbo oritur: vel ex depravatione quadam morũ alia, ita ut nihil supersit de ratione, vel sensus ratione, unde Concl. III.* qui morali vitio laborant deteriores sunt ijs qui ferino malo. *Cujus probatio in eo consistit. Distinguenda natura ab effecto. Etsi ergò natura ferinorum sit magis perversa, quam qui morali vitio, ut ita dicam, emortui sunt, quippe quod hîc ratio languida, illîc plane sit sublata, tamen eo ipso morali virtute laborantes plus in commodant, quam qui omninò sunt feri. quod illi varios excogitare possunt modos nocendi, hi tantum* Symp. III.

impetu ruant, ubicunq; ruunt, atq; inde sibi magis incommodent, quam alijs.

9. Atq; huc referenda illa divisio, quam proponit Ethica Mauritia. lib. 2. c. 6. Feritas vel est vitium, quo mens est aversa ab omni humanitatis sensu, quo qui laborãt, mõnstra potius hominũ dicenda sunt quã homines: vel vitium à communi hominum natura alienum: quali laboravit Absolon, quos omnes Circe depingit fabulâ sua, qua homines transformari docet in feras, puta libidine in ursos, somnolentia, ignaviaq; in sues, ferocia in leones. quomodo docet ibid. Eth. Maurit.

10. Quibus ita definitis, quæ ad virtutem disponunt, διαθέσεις dispiciamus quæ vel à natura insunt, & lib. 6. c. ultim. à perfectis sunt discretæ: vel à nobis comparantur. Piccol. Semivirtutes grad. 3. c. 1. & vel utrumq; appetitum respiciunt: vel alterum solum. Vltimæ Classis 1. Est ἐγκράτεια Continentia, cujus Concl. est

Continentia.

semivirtus, cujus vi cupiditates, cum ratione pugnantes, domantur, & tandem ejus imperio subjiciuntur, seu est virtus luctans, quemadmodum contra

ἀκρασία,

ἀκρασία, *seu* ἀκράτεια est vitium imperfectum, cum cupiditates, cum ratione pugnantes, vincunt, nec tamen planè rationem tollunt. *Dico imperfectum, non quod ullum sit vitium suâ naturâ imperfectum, sed relatione ad habitum, seu intemperantiam.*

11, *Equidem sic homo est comparatus, ut ordo & harmonia virium planè turbata sit, atq; adeò similis sit monstro illi, quod Plato compositum fingit ex homine, Leone & Scylla, ubi quod in homine est adhuc integrum, à furore leonis, hoc est, ab ira abripitur: & quod leo relinquit à Scylla, hoc est, appetitu cibi potius & veneris impuro suffocatur bonum. Itaq; nec in rebus laboriosis tolerandis sese præstat semper æquum, quod vitium dicitur* μαλακία *seu mollities:* virtus καρτερία qua res adversas & laboriosas cum quodam dolore, sed tamen honestatis gratia sustinemus. *Cui subjungimus Obedientiam: quæ rectè afficit tum* ἐπιθυμητικὸν, *tùm* θυμοειδὲς *animi constitutio laudabilis Ethic. M. qua nos*

Obedictia

sponte

sponte subjicimus imperanti, ut legi, quæ ut Reipubl. & vitæ domestica salutem sic virtuti principium subministrat in homine, & aditum facit ad divinam gratiam. Plato: Nunquam à Deo negligitur, qui habet propositum rectè vivendi.

12. Jam verò, ut altius res repetatur, tria introspicienda erunt. 1. de scientia incontinentia. 2. objectum continentiæ. 3. collatio horum affectuum, & continentiæ cum temperantia, & intemperantia.

Symp. 1. Concluditur] ergò. I. Incontinens non nisi scienter agit, idq; contra Socratem qui statuebat neminem contra suam scientiam peccare posse.

13. Quæ ut vidicentur hæc præmittimus. I. Scientia sumitur vel pro ipsa demonstratione, & habitu: Vel pro ipso actu & usu demonstrationis. II. Propositio est universalis vel singularis, idq; non minus juxta hominem qui novit eam, quam juxta rem de qua formatur, ut Omne vinum omni febricitanti obest. Hoc vinum huic vel mihi febricitanti obest. III. Habitus scientiæ aut est liber affectibus,

ctibus, aut præpeditus iisdem, Cum jam non habeat scientiam, & liberam incontinens, non habeat propositionem singularem juxta rem, juxta enim se & hominem etiam singularem scit, ego sum homo, alius se ipsum nesciret, non habeat scientiam actu, tamen potest novisse scientia & habitu præpedito, potest scire propositionem universalem, quamvis non noverit singularem

14. Quod tamen ut altus demonstretur hæ facient hypoth. I. Potest aliquis quid novisse, juxta quod tamen non agat non minus ac temulentus recitare potest versum, quem tamen non intelligat, aut alius quispiam novisse potest propositionem universalem, qui tamen non habeat scientiam. II. Non est alienum Platoni scientiam sumere prudentia, cum ignorantiam interdum sumat pro imprudentia lib. 3. de. ll. III. Possumus aliquid novisse & ante post factum, quod in facto ignoramus. sic adulter ante & post delinquere se videt, in adulterio verò minime. Quod si jam opponitur fieri non posse ut id

agamus

agamus quod sciamus malum? Prima negat. cum juxta tertiam etiam ante & post sciamus singulare, quod in facto universaliter etiam noviſſemus. Vbi verò Socratis opponitur autoritas, cum veritati ſit concedendum magis, inſuper etiam & hujus ſenſum. 2. explicat, cum tantò minùs negarit dari incontinentiam, ut maximè etiam acriter apud Xenophont. contra incontinentes diſputarit lib. 1. memorab. dict. Socratis.

15. *Verùm ne tamen omnis, qui juxta ſcientiam agit habeatur pro continente Concl. II.* Symb. II. Non omnis qui perſeveranter agit eſt continens. *alias namq; tum, qui in malo perſiſtit, diceretur continens, tum qui a malo deflectit diceretur incontinens. Et ne tamen pro eodem habeantur diverſa Concl. III.* Symp. III. Continentia non eſt temperantia *temperans enim agit. 1. cum voluptate. 2. ſine ulla reſiſtentia affectuum, aut cupiditatum, continens verò cum dolore: multis imò vehementioribus hinc inde diſtractus cupiditatibus, & omni vi eaſ-*

dem

dem cogitur domare. Ergò nec intemperantia est incontinentia. *Cum enim illa omni sit destituta ratione: ultrò obsequatur voluptatibus, hæc cum ratione adhuc est, etsi debilitata, ita ut non possit affectibus resistere, & cum dolore adblanditur malo-*

Cap. IV, & V. Symp. IV.

16. *Vt verò ejus species colligantur Concl. IV.* Ejus objectum est indagandum. *Cum verò gradibus tantum differat à temperantia, est enim via ad eam, circa voluptates quoq; versabitur, de quibus Concl. V.* Voluptates non sunt eædem. *Aliæ namq; ita sunt necessariæ, ut sine his nec vita hominis consistere possit, ut voluptas in cibo, potu, venere: vel necessariæ tantum ad vitæ splendorem, veluti honorum, divitiarum, &c. cupido.* 2. *Aliæ sunt vel naturales, quæ ex rebus suâ naturâ jucundis: tum simpliciter omni animanti communes, tum quibusdam tantum: Vel contra naturam, quæ ex iis rebus percipiuntur, quæ sunt naturæ suæ mala, tum beluinæ θηριώδεις vesci crudis carnibus, tum morbosæ νοσηματώδεις ut pica-*

Symp. V.

pica tum ἕδεσαὶ prava consuetudine accersita: Vel intermediæ, quæ ex iis rebus quæ sua natura neq; bonæ, neq; malæ, sed tantum ex usu tales redduntur, ex quo colligi. V I. Nec in continentia est eadem, ex contrario enim facilè intelligitur contrarium. Est enim alia humana, eaq; vel simpliciter, quæ voluptatibus trahitur rerum simplicitèr necessariarum κυρίως καὶ ἁπλῶς vel juxta quid, quam Aristot. dicit κατὰ προσθεσιν, propterea quod sempèr hic adjiciatur res illa, cujus est, incontinens honoris, vindictæ, lucri. Alia ὑπὲρ τὸν ἄνθρωπον, quæ vel φυσικῶς, vel νοσημάτως, vel ἕδεσι. ex quibus tamen, ea quæ circa voluptates veneri, cibi & potus proprie sic dicitur.

Symp. VI.

Cap. V I. 17. Jam cum incontinens etiam circa iram sit Concl. V I. Quæ circa voluptaes incontinentia pejor est. quod hac ratione ostenditur. Incontinens ex voluptate. 1. nunquam sequitur rationem. 2. est magis voluptarius. 3. & quodammodo fraudulentus, cupiditas enim fallax, quæ decepit etiam valdè prudentes.

Symp. VI.

4. nul-

4. *nullam habet causam nisi voluptatem. Cum qui ex ira aliquando audiat rationem, etsi nimis sit præceps: ex natura potius habeat vitium, quod apparet in his qui magis sunt bilioſi: sit apertus, non fraudulentus: & suæ iræ rationem videatur habere, justum scilicet dolorem vindictæ, stat conclusum.*

18. *Cum autem incontinentes proprie dicti vel à vehementiori aliquo affectu subitò abripiantur: vel aliquando resistentes voluptatibus, tamen post, victa ratione, succumbant Concl. VII.* Incontinentia alia est προπέτεια præcipitantia, alia ἀσθένεια infirmitas. *quæ posterior pejor est quod sic ostenditur* προπέτεια *non habet spacium cogitandi. 2. est magis connaturalis. cum contrario* ἀσθένεια *habeat consultandi tempus: nec tamen obsequatur: & sit magis ex assuetudine, Vbi Concl. VIII.* Incontinentia non est mollities. Cap. VII. Symp. VII Sym. VIII.

19. *Hoc ex contrario ostenditur. continentia enim vincit, tolerantia resistit, perseverare est in resistendo, continentia*

autem in vincendo. cum jam aliud sit resistere, aliud vincere, aliud etiam erit vinci, & non resistere. quod ultimum cum vel ex more fit: vel ex natura, sicuti Persæ molles naturâ sunt, unde in proberbium abierunt: vel ab ætate: vel à morbo Concl.

Symp. IX. IX. Mollities alia est voluntaria: alia non voluntaria. hæc excusanda, illa culpanda magis.

Cap. IX. 20. Cæterum ut incontinentia à mollitie differt, sic etiam ab intemperantia, quod ut pateat Conc. X. Intemperantia

Symp. X. longè est deterior incontinentia. quod hac ratione probatur. 1. Intemperans non est μεταμελητικὸς non est talis quem pœniteat. 2. est ἀνίατος insanabilis. 3. laborat continuo vitio, est n. morbus συνεχὴς continuus, quare etiam comparatur hydropico. 4. vincitur etiam à levioribus cupiditatibus. 5. quicquid agit ἐκ προαιρέσεως agit. 6. unde etiam φαῦλος καὶ πονηρὸς improbus & malus est. Cum jam omnis incontinens sit proclivis ad pœnitendum, ὁ δ' ἀκρατὴς μεταμελητικὸς πᾶς: possit hinc inde tandem curari: modo pec-

cet,

cet, modo resipiscat, incitatur enim ad delinquendum per intervalla: unde comparatur ἐπιλεπτικῶς: delinquat non nisi victus à vehementioribus affectibus: idq; παρὰ τὰς προαιρέσεις, nec vir malus erit, etsi n. quæ injusta sunt faciat, tamen propterea nõ injustus erit, quemadmodum nec Milesij insipientes sunt, etsi faciant, quæ insipientes, nec adeò malus, ut intemperans, ergò nec incontinentia malignitate respondet intemperantiæ.

21. Continens ergò cũ mediũ teneat circa voluptates, tũ incõtinẽs à medio recedit, tũ is, qui õnes volu. respuit, in defectu peccat, sed certo suo nomine caret & dicitur ἀνάιδης. Cap. X.

22. Nectamen cõtinens quod Conc. XI. est pertinax, uti supra demonstratum, quod nec sit idem cum perseverante. Symp. XI.

Equidem cum pertinaces sint vel ἰδιογνώμονες & docti, qui conceptas suas opiniones pertinaciter defendunt, vel indocti, qui nec suæ opinionis certas causas & rationes ferre possunt, nec etiam aliorum audire volunt, sive sint ἀμαθεῖς sive ἄγροικοι. nõ indocti & agrestes, hoc tamen commu-

habent, ut in sua sententia tenaciter perseverent, nec ullis se patiantur vinci rationibus. in quo tamen cum discrepent incontinentes, audiunt n. rationes, pertinaces non erunt. Quod si tamen opponitur pertinaces multos etiam rationem admittere? hac occur. propos. Qui à sua sententia recedunt, faciunt id vel amore veritatis & justitiæ: vel ex inconstantia, & propter aliquam causam non ita honestam. Illi ergò ut minimè sunt pertinaces, sed veritatis studiosi, sic hi revera sunt incontinentes.

23. *Verum cum supra dictum sit incõtinentem non esse improbum, etsi nec consultò agat, prudens 4. non sit nisi probus, quærere quis poterat num etiam prudentia*

Symp. XII. *cadat in incontinentem ubi Concl. XII.*

Incontinens non est prudens. *Quod sic ostend. Prudens. 1. nunquam sponte peccat. 2. vir prudens quæ scit agit bona. 3. & hinc est vir bonus. 4. & simul aptissimus Reip. gerendæ. Cum jam incontinens sponte agat: Dico sponte ratione ejus*

quod

quod novit malum id esse antequam agit, quod agit, tum ratione intemperantis non sponte agat, ratione tum finis, quando post factum dolet, tum affectuum, quibus trahitur, quæ scit bona non agat: unde nec sit vir bonus: sed ἀκρατόνης, *atq; adeò non ita aptus ad res gerendas, non erit idem prudens. Etsi n. leges interdum sanciat, tamen similis ei civitati, quæ multa quidē utilia sancit, nec tamen ijs utitur Anaxandrides. Civitas voluit, quæ leges nihil curat, nec tamē impedit quo minᵘˢ sit solers*

24. *Jam restat voluptas & amicitia.* Cap. XII. *de priori ergo hoc libro, cujus Concl. I.* De voluptate agendum, *tum quod est ex numero bonorum: tum quod virtus circa tam: tum quod plurimi felicitatem in ea ponant, quomodo etiam virum beatum denominarunt à gaudendo Græci. de qua quid statuendum ut innotescat Concluſ. II.* Sententiæ aliorum de ea sunt examinandæ. Voluptas, Symp. I. Symp. II.

25. *Triplex ergò se offert secta, Alij namq; omnem voluptatem malam dicunt. Alij quasdam bonas quidem concedunt,*

pleraq; tamen malas adferunt. Alij nullam voluptatem summum bonum esse volunt, quamvis omnis voluptas esset bona. Primi hac utuntur hypot. 1. omne bonum est finis. 2. ab omnibus appetitur. 3. non impedit virtutem 4. ab arte proficiscitur, cujus opus est. Cum jam nulla voluptas sit finis, sed medium ad finem, quod est generatio sensibilis ad naturæ restitutionem. generatio autem non est ipse finis, sicuti nec generatio domus est domus ipsa: evitetur angue pejus à prudente & temperante: impediat semper virtutem: non proficiscatur ab arte, nec bona ulla erit. Proximi his utuntur. Voluptatum multa 1. sunt turpes, quæ objiciuntur tanquam probra αἰσχραὶ καὶ ὀνειδίζονται. 2. βλαβεραὶ morbos enim voluptas pleraq; gignit. Posteriores sic probant suum. Summum bonum est finis. Cum verò voluptas sit γένησις generatio quædam non erit summum bonum.

26. Verum priora argumenta solvere universa possunt hæ hypotheses. I. Ut voluptas non est generatio,

hæ

hæc enim est propriè substantiarum, & est mutatio à non esse ad esse, ut non semper antecedit generationem, sed rem constitutam sequitur: sic quædam generationes etiam sunt bonæ. II. Discernendæ sunt voluptates alicui bonæ, simpliciter & semper bonæ, à voluptatibus semper pravis. III. Non omnis voluptas est sensibilis, neq; operatio semper est mediũ, & ad finem, sed sæpe ipse finis, ut contemplatio. IV. Ut alienæ voluptates impediunt actionem, non propriæ, hæ enim actionem potius promovent: Sic prudentes fugiunt voluptates immoderatas, & turpes. V. Ut multa sunt bona, quæ non ab arte proficiscuntur: sic etiam artes quædam voluptatem profitentur, ut coquinaria, unguentaria mufica. Secundæ opinionis argumenta

sic distinguuntur. Ut non omne quod aliquando nocet est malum. Vinum enim febricitanti nocens, sic esset natura malum: ita quod per se bonum est, ex accidente fieri potest malum. Ultima hoc modo. Ut voluptas quædam est bonum quidpiam, opponitur enim dolori, quem omnes fugiendum dicunt, atq; sic etiam malum: sic proprie loquendo non est summum bonum, sed tamen cum summo bono conjunctum. adeò ut neutrum sine altero nec possit definiri, nec etiam consistere. Vnde Concluditur.

Symp. III. III. Voluptates quædam sunt bonæ.

27. Ad cujus probationem hæc assumitur hyp. Quicquid ex boni profluit naturâ, id bonum est vel simpliciter, ut quod ex bono, simpliciter bono, vel πῇ τὶ, ut quod ex bono secundum quid. cum jam generatio sit naturæ, quatenus

tenus natura bonum quid erit, & sic etiam voluptas. Cum insuper in quacunq; actione bona sit voluptas bona. Ne tamen hoc ita accipiatur quasi omnes sint pares Concl. IV. Voluptates animi perfectiores sunt corporis. quod sic ostend: Voluptates animi. 1. non excedunt. 2. percipiuntur ex rebus semper bonis. 3. & cum ipsa felicitate sunt conjunctæ. 4. quare nec dolores admittunt. Cum jam corporis voluptates sæpè excedant: percipiantur ex rebus etjam ijs, quæ non sunt semper bonæ: non pertingant ad felicitatem: & simul sæpius dolorem habeãt comitem, quod concluſ. est manebit. Quod v. ad corporis voluptates proniores simus, facit ignorantia veri boni, & quod modo hujus, modo illius trahamur cupidine, partium ex quibus homo constat & temperamenti facie tum diversitas, tum perversitas, Horatius. Symp. IV.

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

lib. 3. Carm. od. 6.

I. Quicquid de Heroibus Ethnici jactitent suis, vix tamen umbra illi sunt ad Heroem nostrum Dominum Jesum Christum. Præter quem tamen, cum etiam Deus sit, sanctos nostros opponimus homines, quos rectissimè lapidibus quadris Gregorius comparat. Si quidem hi, quæ heroum sunt, carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cælestia appetunt: Occidi possunt, flecti non possunt, nec sustinere falsa per infirmitatẽ metuũt, nec læsi unquam à veritate conticescunt.

Super Ezech. homil. 21.

II. Tanto incontinentia detestanda magis, quantò cupiditas à voluptate magis trahitur, quantò voluptas humano generi perniciosior. Per hanc n. lapsi angeli, sive per superbiam, sive per invidiam sint lapsi. Hac decepta Eva Adamum, se, & posteros in æternum dejecit exilium.

III. Vt incontinentia, loquendo civiliter, respondet continentiæ: sic in pijs lucta cũ carne spiritus perfectæ æbœdientiæ. Delector lege Dei, quo ad interiorem hominẽ.

Rom. 7. *Sed video aliam legem in mẽbris meis &c.*

Dispu-

Disputatio decima septima

EX LIBRO IIX. DE AMICITIAE NATURA.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam

ad diem XIV. Decemb.

Respondente

JOANNE COLERO Rigense Livono.

THESIS I.

DE AMICITIA agendum restat, quae vel sumitur pro amore Physico, quomodo pluvia amica dicitur plantis, viti ulmus: Vel pro amore ex cognitione proficiscente, qui cum sit triplex, Dei, hominum, sensuum, eminentissimus, medius, infimus, de medio duobus lib. seqq. agitur in lib. 9. proprietates colliguntur, in hoc ipsa natura definitur: cui tamen Duae praeponantur Conclus. I. De amicitia ethico est agendum.

piccolom. grad. 7. cap. 1.

Cap. I.

Sym. I.

I. quod

1. quod vel est virtus, vel virtuti quid conjunctum. 2. quod vitæ maximè necessaria, tum ratione fortunæ ditioribus, cum enim fructus nullus sit ubertatis, beneficentia sublata, quæ maximè exercetur & laudabilissima est erga amicos: nec vivere cuperent amicis destituti: pauperibus, hi enim summum in amicis ponunt perfugium, ita ut secunda splendidiora, adversa reddat leviora: tum ratione ætatis juvenibus ad morum correctionem, πρὸς ἀναμάρτητον: senibus ad cultum & actionis defectum supplendum πρὸς θεραπείαν & τὸ ἐλλεῖπον τῶν πράξεων δι' ἀσθένειαν: viris ad honestas actiones πρὸς τὰς καλὰς πράξεις. ita ut solem è mundo tollat, amicitiam qui tollit. Cic. in Læl. & Plut. in lib. de discer. adulat. & amicis, quandoquidem vitæ humanæ est glutinum, & præsidium necessarium. Eth. Mau. 3. quod secundum naturam est, sicuti videre est in omni genere animantium, quæ mutuo sese amore prosequuntur. 4. quod multum prodest constituendæ Reipubl. & quod demum cum honestate conjuncta. quapro-

pter

pter etiam ei student magis legislatores, quam justitiæ, quippè cum ubi amicitia est, ibidem etiam justitia sit, & ubi inimicitia, ibi omnia sint injusta. φίλων μὴν ὄντων οὐδὲν δεῖ δικαιοσύνης, δίκαιοι δὲ ὄντες προσδέονται φιλίας, unde Pythago. 1. Virtutum omnium dicitur vinculum. quemadmodum discordia omnium rerum est disturbatio.

2. Verum hic quæritur: An non Arist. vel dubitet, vel etiam sibi contradicat, dum modò negat amicitiam virtutem, modò dubitat num vel sit virtus, vel conjunctum quid virtuti? quod ut solvam hypoth. has præmitto, interim liberum cuiq; suum reliquens. Amicitia —, loquimur autem de amicitia humana, aut est honesta: aut jucunda: aut utilis, quod post demonstrabitur. II. Amicitia consideratur aut ut est vel motus, vel habitus in nobis: aut ut exercetur ergà alium. III. Amicitia consideratur aut ut sola est, aut ut

cum

cum reliquis virtutibus. Amicitia ergò honesta semper est virtus: jucunda, utilis, saepè benevolentia tantum, imò saepè hypocrisis, seu adulatio, & assentatio. ut est in nobis erga alios, si fuerit honesta, est etiam utilis, & jucunda, quare habitus in nobis & virtus: sin minus, tantum affectus & motus, alterius autem, seu amici nostri est bonum externum, ut est sola, virtus est, ut cum reliquis virtutibus virtutum est fractus, non aliter atq; magnanimitas est virtus, & tamen virtutum ornamentum simul. lib. 4. Ethic. cap. 3. Ne verò ex numero bonorum excludatur, quod haec semper sibi sint similia Conc.

II. Amicitia non ex contrarijs aut dissimilitudine quadam oritur, quod Heraclitus volebat: sed ex similitudine. Similis enim ad similem, graculus ad graculum, Empedocles.

3. Quod hisce vindico hypothes. I. Non est transiliendum ex una scientia in aliam. lib. 3. de Cœlo cap. 3. & 1. post. cap. 9. quod licet non nisi ex u-

ex uniuscujusq; principijs unumquodq; demonstrare. II. Id, quod est per se, dicernendum ab eo, quod est per accidens. Jam verò cum opponitur quod tum principia ipsa ex quibus res constant, sint contraria, & nihil nisi ex contrario gignatur: tum concentus, ex dissimilibus, fiat? cum hic principia physica, & musica cum principijs moralibus misceantur, etjam hoc manifestum est, quod Aristot. est infra c. 8. contrarium non appetere contrarium per se, sed per accidens, ut nimirum mediocritatem consequatur. Si quod ij, qui sunt vita & fortuna dissimiles, magis æmulationes alant, quam benevolentiam? cum hoc fiat per accidens, quod nimirum impedimentum accedat vel lucri, vel gloriæ, ut Aristot. lib. 2. Rhetor. explicat, at conclusio. Cap. II.

4. Ut verò ejus definitio colligatur Conclud. III. Amicitia, cujus nomen ex amore ductum est c. 1. versatur circa τὸ φιλητὸν circa amabile honestum, utile, jucundum. sive illud revera tale sit, Symp. III.

sive

sive apparenter. amat enim quisq; non quod sibi est bonum, sed quod apparet. ex

Symp. IV. *quo Colligitur. IV.* Amicitia est εὔνοια ἐμ ἀντιπεπονθόσι μὴ λανθάνουσα, mutua & manifesta inter aliquos benevolentia. *seu aperta ac confirmata inter aliquos benevolentia. dico mutua, quod mutuus rrquiritur amor* ἀντιφίλησις, *& ut ab amicitia removeantur inanima & bruta, in quæ nec amor mutuus, nec boni voluntas cadit: dico aperta, quod simulata amicitia non sit amicitia: quod si quis nesciũ amet, non sit amicitia: Dico benevolentia. quod propinquitas non est amicitia. siquidem ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest Cic. in Læl. Jam cum ob-*

Cap. III. *jectum sit triplex honestum utile jucundum Concl. V.* Amicitia alia est ho-

Symp. V. nesta. *quam ut conciliat virtutis pulcerrima species, sic etiam per se est, & perfecta, & tantum in viris bonis. 1. quod viri boni alter alterum per se & ipsius gratia amat Cic. lib. 1. de finib. me ipsum oportet ames si veri amici esse velimus.*

2. quod

2. quod à virtute ortum ducit, unde etiam tempus aliquod requirit, non enim licet cognoscere se invicem, prius quam, qui sunt, modios salis una consumpserint. 3. & propterea etiam perfecta tum juxta se, tum juxta tempus. 4. omnia amabilia habet: Plutarchus: Vera amicitia tria desiderat, virtutẽ tanquã honestũ cõsuetudinẽ tãquã jucũdũ, usum tanquã necessariũ. 5. quapropter etiam est rarissima. unde Arist. ô amici nemo amicus! & ex eo sua sponte, vi sua, & propter se expetenda Cic. 2. de fin. Alia jucunda, seu carnalis, quæ ut à cupiditate proficiscitur voluptatis, sic à juvenibus colitur, hi enim sunt voluptuosi magis, Arist. in Rhet. & propterea citò transit, quod inconstans, tum propter fluxam voluptatis naturam, tum propter ætatem Alia utilis διὰ τὸ χρήσιμον seu mundana, quæ ut est quæstuosa, sic à senibus colitur, hi enim omnia ad quæstum metiuntur. Ex quo Conclud. VI. Amicitia honesta à reliquis longè differt. 1. enim verè & propriè sic dicta est. 2. perpetuo durat. 3. solos bonos sociat, eaq; Symp. VI.

propter pares & vita & moribus Cic. pro Cluent. magnam vim habet ad conjungendas amicitias studiorum & naturæ similitudo. nihil enim est appetentius simili sui, nihil rapacius quam natura. unde constat bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse. 4. non dat locum calumniis, aut injuriis. Credere enim in hac est, & nunquam injuria afficere. Cum jam reliquæ ex consuetudine vulgi oriantur. 2. atq; ex eo non sint durabiles, desinente enim pulchritudine, & amicitia desinit: Sine discrimine quos vis socient, mali enim non gaudent se ipsis, nisi utilitas aliqua fiat: sint falsis suspicionibus maximè expositæ, & habeant omnia vitia, injurias, suspiciones, inimicitias, bellum, priori longè erunt inferiores.

Cap. V. 5. Verum cum dictum sit amicitiam esse in mutua officiorum collatione, quæri poterat: An etiam inter absentes possit existere amicitia? Cui quæst. sic obvenitur: ut virtus alia est habitu, alia actu & reipsa, in dormientibus, & ju-

Amici quo modo possunt esse longius diciti.

xta

xta virtutem agentibus: sic etiam amicitia alia est actu, alia habitu. Jam verò amici habitu possunt esse etiam longè disiti, sed nunquam actu. loci enim non dissolvunt amicitiã, sed actum. Consuetudo enim hic requiritur, alias enim impeditur oblectationis fructus, & officiorum communicatio, unde sæpè amor visus per longè silentia solvi. Cum in utraq; fortuna hæc sint gratissima, quomodo etiam senes, quod morosi sint, inepti ad consuetudinem ab amicitia excluduntur, nemo etiam potest diem ducere cum eo, qui sit tristis, aut cum eo, qui non sit jucundus. cum maximè natura videatur appetere id, quod jucundum est fugere, quod triste.

6, Ne verò quis hic obvenire possit. Symp. VII.
Concl. VII. Amatio non est amicitia. Quod sic ostẽdi poterat. φίλησις est affectus, cum sit etiam in animal. 2, brutis nunquam est sine προαιρέσει 3. est erga res inanimatas. 4. amat aliquid propter aliud. 5. nil reddit æquale. Cum jam φιλία sit habitus, & ex hoc non cadat in bruta: nunquam sit sine præelectione: non sit

nisi erga homines: sit propter se, bonus ni amicus amico bonus: semper sit interæquales quod quomodo verũ sit, post patebit, una & eadem non erunt. ut tamen constet, quænam posteriorum sit potior Concud.

Sym. IIX. *IIX.* Iucunda potior est utili.

10. *Idem sic ostenditur. Iucunda est liberalior, virtus autem liberalis. 2. est minus horrida. 3. & iis qui aliquid possident gratior. Cum jam utilis non sit ita liberalis, illic enim ambo gaudent, hic alter: sit magis horrida, quod pudet, qui accipit: & non ita grata beatis, quæ præstantior apparet. ut verò pateat, ubi & in-*

Symp. IX. *ter quos sit amicitia Concl. IX.* Amicitia vera plures non admittit. 1. *quod summus amor in plures diffundi nequit, multos enim uni eidemq; placere difficilimum est. 2. quod viros bonos invenire difficilimum. 3. & si qui dentur ad hos cognoscendos tamen experientia requiratur, quæ multum temporis postulat. etsi a reliqua magis tamen utilis, multos, & pauco tempore excitet. Ut verò altius natura, ut supra ex subjecto operat.*

sic de

sic dein ex subjecto inhæsionis colligitur

X. 1. Alia est æqualium, *quæ inter personas dignitate & conditione æquales continetur, quæ tum firma & laudabilis, si debita officia ultro citroq; præstentur. 2. amor meritis respondeat. 3. & is qui accipit magis amet, quam ametur a dante.* Alia æqualium, *quæ inæquales vel ætate, vel dignitate vel alia quadam ratione existentes conjungit.* Symp. X. II. Divisio

11. *Hæc ergò vera amicitia esse non potest, quod inæqualitatem hæc non admittit, cum autem vita non possit consistere nisi ex inæqualibus, Concl. XI.* Inæqualis amicitia per proportionem geometricam conservatur. *ita ut quod alter præstitit beneficium qui minor est amore & honore compenset officium, officio quod non potest. Sicuti æqualis per arithmeticam. Similis enim justitiæ cum sit, tamen potior est juxta quantitat. quam quæ juxta qualitatem seu proport. geometricam. Verum cum periculosa & inconstans sit amicitia inæqualis, cum is qui potior est inferiorem* Symp. XI.

vix dignum sua familiaritate existimet, quod videre est tum in diis, qui plurimum omnibus bonis superant, & Regibus, qui vix sapientissimos optimosq; dignos se putant, quæritur: An amicis majora conveniat petere bona, quam nobis? Negatur sic enim nos ipsi amicitiam solveremus, & nostro bono lubentes nos privaremus. Distinguo. Qui paucis ipse contentus, huic ut pauca precari sufficit: ita ei à quo plus volumus plus etiam precabimur. Cum jam, amici honestis nil, ultra quod sufficit, ipsi precentur, à nobis etiam, plus peti non volunt. Cum autem utilem sempèr nobis prodesse velimus, quo plus volumus, eo etiam plus contendendum. Sibi maximè quisq; vult bona. Cum autem sæpè contingat alterum ut fortuna evehat, deprimat alterum, si amici tales quæritur: An amicitia maneat. Respondet Piccolom. manet quæ ex virtute est: immutantur quæ posita sunt in voluptate, & quæstu: manet illa, sed non in eadem forma, sed gradu eminentiori, elevatur in gradum sublimiorem, fer-

tur in

tur in caritatem, & observantiam, & amicitiam illam, quæ est inæqualium. Quod verò hic negatur inter Deum & hominem non intercedere amicitiam, inæqualitatis nõ est, sed excellentia.

9. Verum enim verò cum amicitia requirat mutuam benevolentiam, constat hanc tum activam esse, tum passivam, utra ergò sit præstantior ut intelligatur

Concl. XII. Amare præstantius est, quam amari. 1. quod virtutis laus in actione consistit. 2. quod studiosos amicorum laudent omnes. 3. quapropter etiam matres magis gaudent dum amant, quam dum amantur. Cui subvenit hæc hypoth. Multitudo errantium errori non facit patrocinium, nec ex falso verum. Si ergò opponitur plures velle amari quam amare, unde etiam præstantius? id cum ex voluptate impura fiat, qua honorem præferunt, amicitiæ, volũt enim amari, ut honorentur, cum tamen amor major sit quam honor, multitudo nihil faciet, ratio prævalebit. Quod tamen sic distinguit Piccolom. iib. 7. cap. 13. Honor con-

Symp. XII.

sideratur vel ut conjunctum quid cum amore & est præstantius externorum bonorum lib. 4. cap. 3. Ethic. vel disjunctum quid & sic amor est præstantius quid, quod est tanquam anima honoris. Vt autem animadvertatur quæ sit perfecta. Concl. XII. Ea quæ est stabilis. qua scilicet amici pro cujusq; merito sese amant: ubi boni se amant, hi n. semper tum sibi constant, tum erga alios, nec admittunt, quod malum est, nec ab aliis hoc fieri volunt. Cum è contrario improbi gaudeant sua pravitate, & sint instabiles, prosistunt enim donec sunt jucundi vel utiles.

Cap. IX. 10. At verò altiam adhuc superesse speciem vel inde patet, quod amicitia societate continetur, quippe cui magna cognatio cum justitia siquidem in omni communitate aliquid sit, quod justum sit, quomodo etiam eos, qui societate aliqua continentur amicos solemus appellare, imò amicorum omnia dicimus communia, atq; adeò etiam communionem. Vt ergò justum, sic etiam communio differt, ita ut auctior

alia

alia & arctior, altera levior & remissior. Vnde Coucl. I. Communio & societas alia est civilis, & politica: Alia privata & domestica. Symp. I.

II. *Equidem cum omnes civitates ad civilem societatem referantur, quod ejus sunt membra, & ad utile conspirent, tamen & ipsa differt, unde Concl. II.* Symp. II.

Forma civilis societatis est varia. Βασιλέια. Regia gubernatio, *ubi si Rex est* ἀυταρκὴς καὶ πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ὑπερέχων *optima est, in qua potestas penes unum, qui ex legibus judicat, ad populi salutem, cui opponitur* τυραννὶς *cum unus, ratione sepositâ, ad voluptatem regit, qui hoc usurpat, sic volo sic jubeo, &c.* Ἀριστοκρατία *Optimas, quando virtuosi ad salutem communem præsunt, cui opponitur* ὀλιγαρχία *cum pauci, qui per potentiam, aut gratiam summam rerum tenent, pro libitu gubernant:* τιμοκρατία, *ubi qui ex censu sunt electi & opibus prævalent, regũt. Cui opponitur* δημοκρατία, *eorum qui suam juxta voluntatem & utilitatem regunt.*

12. *Hisce quodammodo respondent*

societates privatæ, seu domesticæ. Regni enim speciem habet parentis in liberos, si sint æqui, sin minus Tyrannidis, atq; Domini in servos. Conjugalis societas laudabilis Aristocratiæ, sin minus vel oritur ὀλιγαρχία, *quando maritus penitus à regimine excludit uxorem, vel* γυναικοκρατία *ubi contra: Domus autem destituta*

Symp. III. *domino est Democratia. Ex quo Concluditur. III.* Tanta in qualibet societate est amicitia, quanta bonorum communio.

13. *In Regia ergò societate amicitia excellens est, atq; adeò etiam in paterna: tum ratione dignitatis, tum ratione beneficiorum acceptorum. quæ cum sint summa, ita ut compensari non possint æqualitate, tantò majorem amorem reposcunt, quomodo etiam hæc amicitia comparatur amori Dei erga nos. Ut ergò liberi ad duo obliganur* θεραπείαν καὶ τὸ ἀναπληρῶν τὰς βουλήσεις *lege Platonica: Sic etiam ad curam Regum subditi sunt adjurati, ut quicquid velint expediant. In statu optimatum, qui similis amori beatarum mentium*

tium erga nos & ipsos, eadem est: ergò & in Conjugali. ut cum marito subjici naturæ lege jubeatur uxor, quod lege Ægyptiorum inter solennia stipulabatur sponsus: Sic tum corporis, tum facultatum debet esse utriq; communio, ita ut quæcunq; agunt in bonum suum commune conferant. In populari est adhuc quid amicitiæ, qualis inter æquales: ergò & inter fratres. In reliquis pravis tum domesticis, tum civilibus nulla, aut exigua est, quod hic nihil, aut parum juris. Inter servum tamen & dominum cadit amicitia, si non civilis, tamen naturalis: Si non qua servus, tamen qua homo. Ex quibus colligitur. IV. Amicitia alia est privata alia publica. Symp. IV.

14. Privata ergò vel ex natura oritur φυσικὴ & oritur vel ex sanguinis conjunctione συγγενικὴ paterna, cujus causa amor sui ipsius: fraterna cujus causæ originis æqualitas, educationis communitas, ætatis paritas: Sicuti eædem ipsæ procreant in specie sic dictam συγγενικὴν propinquorum. Vel ex nuptijs legitimis conjuga-

jugalis, quam natura sanxit non tantum ob mutuum in vita auxlium: sed maximè ob sobolis procreationem & vitæ conservationem. hinc est, quod tum Romani non nisi liberorum parentem ad officia publica admiserint, in quo imitati Lacedæmones, tum Plato mulctam gravissimã indixit, qui annum attingentes. 35. conjugia recusarent, quemadmodum etiam omnis honore eos privavit, ita ut ne juvenis seni non parenti assurgeret. Hinc Solon sanxit, si quis ad generandum minus idoneus, aut non idoneam ducat, sed opum gratia uxorem duxerit, contra naturam, injusti quæstus, & injuriæ in eum dabitur actio. Vel ex similitudine, sive speciei, quomodo homo homini, cicada cicadæ similis: vel accidentium, quomodo pares cum paribus facile congregantur. quæ itidem dicitur voluntaria. seu ex voluntate. Publica, inter eos qui vel præsunt vel parent, Regia: Optimas Popularis: quarum communis est regula: Unicuiq;

Cap. XIII. tribuendum κατ' ἀξίαν καὶ ἀναλογίαν.

15. Enim v. sint amici æquales, constabit e-

quæ-

quali, quantitate amicitia: sin v. impares pportione quare Concl. V. Amicitia dissolvit neglectio æqualitatis & pportionis ex quo & hoc exurgit. VII. Amicitia exposita est expostulationibus & querelis. Symp. 7.

Nec tamen omnis pariter, sed præcipuè utilis, quandoquidem uterq; amicus est πλεονεκτὴς, *& plus desiderat accipere, quam reddere. Nec illa in universum, quandoquidem in* ἀγορᾷα *mercatoria definitur quid & quantum retribuendum: sed in* ἠθικῇ *potissimum, in qua non ex pacto, sed ex cujusq; arbitrio fit retributio. quibus tamẽ ut obvietur tria præscribuntur præcepta. I. Si beneficium spe majoris emolumenti, & non ex benevolentia collatum animadvertitur, statim & lubentèr debitum certum dissolvendum. II. Non à quovis beneficium accipiendum, & si quod accipiatur, à quo & in quem finem in nos conferatur, expendendum. III. In compensatione tantũ reddendũ, quantũ in nos collatum. Quod ut rectius fiat, æstimanda erunt officia, non quidem simplicitèr, sed juxta*

juxta amicitiæ ſpecies. I. In honeſta non eſt inſpiciendum accipientis commodum, ſed animus dantis. II. in utili non reſpiciendus animus dantis, ſed commodum accipientis.

Symp. VII. 16. Jam ut hoc fieri poſſit melius Concl. VI. Cauſæ ob quas querelæ exiſtunt, ſunt indagandæ. in genere, quod quis q̃ plus ſibi tribui poſtulat, quam ei tribuitur. in ſpecie: Qui virtute præditus eſt, plus petit, pter virtutẽ, & ſuo jure, quod virtuti nullum par præmium: Qui opib. pollet plus petit jure gratitudinis: Qui, inferior jure amicitiæ: hanc n. verã exiſtimat amicitiam, amico egeno ſi ſuccurratur. quid n., inquit pauper, prodeſſet probo aut potẽti amicum eſſe, ſi nullum ex eo fructum ſit percepturus. Quibus tamen obvenitur, ſi cuiq; tribuatur juxta dignitatem, non ejudem rei, ſed ſuperiori honor, egenti lucrum. Sic enim civitates compenſare ſolent officia, ut ſuperioribus honorem tribuant, eſt enim hic bonum commune, mercenariis verò, & egenis pecunias.

17. Verum ne in tribuendo peccetur,

Sym. VII. Concl. VII. Nõ omni omnia ſunt tribuen-

buenda, aut requirenda. *Quod enim fieri potest amicitia requirit, nõ quod cuiq́ debetur. sic diis & parentibus honorem debemus, nec tamen his parem offerimus. his enim nemo unquam par potest reddere. qui tamen* εἰς δύναμιν *eos colit,* ἐπιεικὴς εἶναι δοκεῖ *probus videtur. Ex quo ultimo hoc exurgit porisma.* Nanquam filio licebit ἀπίπασθαι abdicare parentem, *qnod verbum alij intelligunt pro exhæredare, sed contra mentem Arist. ut docet Alciatus lib. 2. disput. c. 28.* Sed patri filium, *quamvis vix unquam inveniatur qui se à suis sejungat, nisi excedat vel abdicans, vel ab dicatus pravitate. Præter enim naturalem amicitiam ut humanum est non depellere: sic nec ei studendum suppeditare, qui improbus sit. Quod si jam quæratur, cur tum frequentèr liberi ab amore in parentes recedant? Respondetur: Beneficiam accipere multi volunt: Beneficium facere nolunt. Cur hoc? quod existimant id vel inutile, vel non necessarium.*

Ethi-

Tanta amicitia nobis erit commendatior, quantò Deus in charitatis commendatione, hæc enim vera est Christianorum amicitia, severior: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. de quo sic Mag. sent. Lib. 3. dist. 27. *Hæc duo mandata habet, unum pertinens ad dilectionem Dei, quod est maximum in lege mandatum, & alterum pertinens ad diligendum proximum, illi simile. & hanc non solũ in animo sepultã, reservemus sed opere vivã profiteamur, idq; exemplo Christi, hic n. in corde quam habuit charitatem, opere nobis exhibuit, ut exhibitionis forma ad diligendum nos instrueret. non enim potest Deum diligere, quem non videt, qui fratrem, quem videt, non diligit. Sed tamen hoc ita, ut Deum propter se, hominem propter Deum amemus, non in malum, sed bonum. & ad quod te ipsum. Si enim te non propter te, sed propter illum, ubi dilectionis tuæ finis est, Deum diligis, non succensebit aliquis, si & ipsum propter Deum diligas, omnia enim nostra in Dei dirigi debent gloriam & honorem.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0460
DFG

Disputatio

EX LIBRO IX. DE AMICITIÆ PROPRIETATIBUS.

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam,

Respondente JACOBO HASERTO.

THESIS I.

CUm *in principio rei explicandæ quid res sit definiendum erat Cic. lib. 1. offic. & orato. 1. ex Platonis Phædro, atq; priori disputatione, quoad potuit brevius, explicaverimus quid, & quæ sit amicitia, sequitur ut de iis agatur, quæ concomitantur eã. Quod tamen antequam fiat sic Concludo:* Amicitiæ aliæ sunt ὁμοιοειδεῖς aliæ ἀνομοιοειδεῖς. *speciei ejusdem, ubi amici mutuò sese amant propter eandem rem: aut diversæ, ubi amor elicitur & exercetur ob res*

Cap .1. Symp. I.

diversas. *quæ ultima ut præcaveri ab interitu posſit, & ruina. Concl. I.* Videndum ne a proportione discedatur officiorum. *quandoquidem, quæ videntur maximè dissimilia, per proportionem ad æqualitatem rediguntur. Calceum enim æquat non modo calceus, sed & proportio, sicuti omnium communis mensura est nummus, ad quem omnia referuntur & mensurantur.*

2. *Disceditur autem à proportione. I. ubi amor amori non respondet æqualiter, seu ubi non est æqualis* ἀντιφίλησις. *tum enim queritur amans, quod rursus non ametur. quando enim non solvuntur ea, quorum gratia amicitiam inibant uterq; amicitia labascit. non enim seipsos amabant, ut viri boni, sed quæ inerant caduca. II. Si compensatio quidem fiat, sed non juxta rem eam, quam alter expetebat. Simile namq; est, ac si nihil detur, cum id, quod appetitur, non collocatur. quorum enim indigens quisq; est, ea curat, atq; horum causa agit.*

3. *Verùm enim verò cum id, quod justum*

ſtum eſt, & proportionale, ſervet quod eſt inæquale, id a. fieri non poſſit, niſi ſit, quod inæquale ad proportionem redigat, Concl.

II. Inter utrumq; amicum æſtimatio certa inſtituenda. *Ad quam hæc præſcribuntur præcepta. I. Si ex libero dantis arbitrio, & benevola voluntate provenerit beneficium, tunc accipienti commendanda æſtimatio. Sic Protagoras æſtimare rem illum jubebat, qui ſciret, quantum ſibi profuiſſet. ubi proverbium, valet:* μισθὸς δ' ἀνδρὶ, *Dicta viro merces ab amico. II. Si ſpe retributionis, aut conditione aliquâ indictâ certâ, dans collocat, accipiens autem eadem lege accipit; tum eo modo, quem pactas uterq;, fiat retributio. qui enim accipit argentum, & poſt nihil facit eorum, quæ affirmavit, meritò in criminationem incurrit, idq; propter exuperantias promiſſorum, quod ipſo actu & re nõ præſtet, quod ore promiſerat, qui meritò audit illud Ovidij: Promiſſis dives quilibet eſſe poteſt. III. Si dans non determinarit, quid & quantum accipiens reddere debeat, & ſpe retributionis* Symp. II.

relinquatur æstimatio accipienti, accipiens beneficium, quod accepit, tanti æstimabit, quanti æstimaret, quando adhuc eodem careret egens. idq; hinc indè potissimùm, quod. 1. eo ipso, quod tacet, accipienti videtur liberam tacitè linquere æstimandi facultatem. 2. quod accipiens melius novit, & potest æstimare, siquidem hic scit, quantum sibi profuerit. 3. quemadmodum ètiam emptori in foro æstimatio magis relinquitur. 4. undè in quibusdam civitatibus relinquitur judicium accipienti, ut tantum reddat, quantum ipsi acceptum profuerat. 5. quod justior sit æstimator accipiens, quam dans. quisq; enim in æstimandis suis liberalior, quam in alienis.

Cap. II. 4. Jam verò ut quid amici sit proprium videatur, & ne ultrà, quam par sit, tribuatur, Conclud. I. Parentibus non sunt

Symp. I. omnia tribuenda, sed tum τροφὴν, quæ alimentum concernunt, & τιμὴν honor, isq; non omnis, sed qualis requiritur. Siquidem cum ne Jovi res divina fieri soleat quibuslibet hostijs, Thebani quoq; sicuti Herodotus refert, non ovibus sed capellis

pellis res divinas fecerunt. Ne tamen unicuiq; eadem demus, aut deberi videamur Concl. II. Amico potius qui benè fecerit, quam viro bono alij alicui, mos gerendus. *non aliter atq; creditori potius debitum solvendum est, quam alteri aliquid dandum. nisi tamen natura aliud quid suadeat, & ratio, aut necessitas aliud quid postulet. ut si cum patre sit captus, qui aliquando te ab hoste liberarit. quamvis enim utriq; summa debueris, tamen, si utrumq; non possis, patrem tamen in primis liberare teneberis. Et ne quemvis pro quovis habeamus, Conclud.* Symp. II.

III. Non omnia omnibus, nec cuivis quævis tribuenda: sed singulis pro merito, & conditione. *Parentibus ergò alimentum, & cum his senioribus etiam honorem debemus: fratribus & sodalibus officiorum communionem, velut etiam παῤῥησίαν loquendi, & admonendi libertatem: sanguine junctis, quæ ad generis, & familiæ splendorem, honoremq; pertinent, ut sunt, ad nuptias vocatio, funerum deductio, & si quæ sunt alia:* Symp. III.

alia: Popularibus & vicinis, etsi difficilè suum tribuere possumus, qui enim differunt, in his difficilior judicatio, atq; in iis, qui sunt ejusdem generis, est facilis, tamen medium sic tenebitur, ubi ratione tum dignitatis, tum beneficij, in nos collati, officia his nostra communicaverimus. non enim ob id desistendum, quod difficultatem habeat, sed ut contingit, ita definiendum. Parenti tamẽ plus debemus quam matri, tum propter naturæ excellentiam, qua præstat, tum ex magnitudine & ubertate beneficiorum, qua superat Pontanus lib. 2. de obæd. cap. 7. Ne autem omninò amicitiæ adjuratos nos esse arbitremur, ita ut nunquam solvere nobis eam liceat

Conclud. IV. Interdum amicitiam solvere licet. idq; non solum in imperfectâ conceditur, sed & in perfecta. Et hoc si amicus alter, vel vir bonus esse desierit, ut enim non quodlibet dignum est, ut ametur, sed bonum, sic amantem pravi non oportet esse, aliâs enim similis pravo redderetur bonus, quod simile simili amicum oporteat esse. sed tamen & hic ratio

Symp. IV.

qua-

quædam habenda, & videndum, num, qui ad improbitatem defecit, sanari possit, nec ne. Si illud, tum ad mores opitulandum, seu est corrigendus, sin minus, relinquendus sibi, atq; suæ malitiæ. Vel quando alter ad dignitates summas evehitur, ita ut sit ejusmodi facta utriusq; inæqualitas, ut videantur amplius vivere non posse. his enim neq; eadem placebunt, neq; gaudebunt iisdem, neq; etiam dolebunt invicem. sine quibus tamen fieri non potest, ut amicus sit. In imperfecta v. fit dissolutio, vel si desinat inter se esse jucundi, vel utiles, jucundis n. & utilibus, quorum causa amici erant, sublatis, tota ruit amicitia: vel si amicus non sit revera amicus, sed amicitiam simulet. plurima enim dissidia fiunt, quando non similiter putent, & sint amici. ubi qui decipitur, justum est, ut accuset eũ, qui decepit. idq; magis etiam, quam eos, qui nummos adulterant, cum circa honorabile summum sit malitia. Ne tamen omninò erga amicum, qui desertus est, quasi lapis erga lapidem, nos habeamus, Conclud. V. Non omninò animus ab amico est abalienan- Symp. V.

lienandus. & hoc propterea, ne odium excitetur, quod ortum inter amicos solet esse incurabile. Acerba enim bella fratrum, & qui supra modum amant, supra modū etiam oderunt. Deserenda itaq; amicitia, nec tamē extirpanda amoris affectio, aut præcludenda benefaciendi voluntas. quemadmodum enim amicis magis gratificari oportet, quam exteris, sic etiam tribuendum iis aliquid erit, nobis qui amici fuerunt. ni tamen dissolutio facta sit δι' ὑπερβολὴν μοχθηρίας.

5. Verùm enimverò, ut pateat, amicitiæ unde oriantur officia, Concl. VI. Cap IV. Symp. VI. Amicitia ex amore sui oritur. Quod sic ostenditur. ἡ φιλαυτία sibi bene vult. itaq; etiam eadem agit, boni n. est laborare in bono, & sui ipsius causa. 2. sibi benefacit, vivere enim vult seipsum, atq; servari, quod bono bonum est servari. 3. secum consentit. 4. congaudet & condolet. 5. Cohabitat sibi. 6. & suam salutem expetit.

Cum

Cum jam hæc omnia amicitiæ erga alium insint, stat concluſum. Quod tamen ut altiùs corroboretur, Conclud. VII. Symp. VII

Amicitia eſt alicui ſibi ipſi ſecum.

idq; ex eo quod homo vel duo eſt, quod Euſtratius exponit, vel rationis particeps, vel rationis expers: vel plura, quatenus rationis particeps, iracundus, & voluptuoſus: & quod amicitia exuperans erga alterum ei ſimilis eſt, qua ſe quisque amat.

6. *Sed ut & hoc diſtinguatur hæc præmittitur hypoth. Diſcernendi ſunt improbi, qui ſibi non ſunt amici, à bonis. illud verò hoc modo probatur. Amicus. 1. ſibi benefacit. 2. ſibi benè vult. 3. ſecum jucundè vivit. 4. ſecum conſentit. Cum jam malevoli agant ſibi quæ ſunt exitioſa: oderint vitam ſuam, ſunt n. quaſi parricidæ animæ ſuæ, ſeſe ipſos fugiant, quando ſcilicet ſua recordantur delicta, tum enim alios requirunt, ut ſcelera ſua oblivione tegant: ſint diſcordes ipſis ſibi, nec amici ſibi erunt. ut ergò quis ſibi*

Sym. VIII. *ipsi possit esse amicus Conclud. VIII.* Deflectendum omni conatu, & viribus totis ab improbitate, & conandum ut homo sit probus.

Cap. V. Symp. IX. 6. *Jam ut officia amicitiæ altiùs declarentur Concluditur. IX.* Ejus adjuncta sunt declaranda. *quorum* 1. *est benevolentia* εὔνοια, *cujus Concluſ.* Benevolentia nec est amicitia, nec est amatio, sed principium amoris. Prius sic ostenditur. φιλία. *1. non est nisi erga notos. 2. nunquam est occulta*—, *est enim semper officiosa. Cum jam benevolentia etjam sit erga ignotos: & sæpè lateat, non erit amicitia. Proximum hoc modo: Amatio. 1. vehementem habet commotionem. 2. desyderij habet ardorem. 3. tempus aliquod requirit: Cum jam benevolentia non ita habeat vehementem commotionem: nec desyderij ardorem: subitò existat, non erit amatio. Posterius autem comprobatur, quod sicuti voluptas per aspectum pulchritudinis excitat amo-*

Benevolentia.

rem,

rem, sic etiam benevolentia tandem pariat amicitiam. quod sine benevolentia consistere amicitia non possit, cum tamen propinquitas sit sine benevolentia. Benevolentia est quasi amicitiæ fons, à natura constitutus, qua sublata, amicitiæ nomen quoq; tollitur, quemadmodum etiam per metaphoram ociosa dicitur amicitia, quod longo tempore, & consuetudinis usu degeneret in amicitiam, non jucundam, & utilem, neq; n. hic benevolentia est, quod quis potius hîc sibi benè velit, quàm alijs, neq; illîc, quod nec vera amicitia, sed honestam, quod benevolentia propter virtutem sit & honestatem.

Cap. VI. Symp. I. Concordia.

7, *Alterum est* ὁμόνοια Concordia, *cujus Concl. I.* Concordia non est opinionum consensio, ὁμοδοξία, *quod sic probatur. Concordia.* 1. *non est nisi inter notos.* 2 *non est nisi de rebus agendis, non enim pertinet ad amicitiam consentire in rebus cœlestibus. Cum jam opinionum conformitas, seu consensus sit etiam inter ignotos, & qui se invicem non norint: sit etiam rerum quarum vis, nec*

erit

erit concordia. ut tamen constet quidnam
Symp. II. sit Concl. II. Est consensio de rebus agendis. idq; vel inter personas publicas, vel privatas, in rebus maximè & causis iis, quæ civilem societatem concernunt, & arduæ sunt, ita ut de ijsdem eadē, & eodem modo sentiant, ut si populus, & probi velint optimos imperare. idem enim velle, &
Symo. III. idem nolle firma est amicitia, Cic. ex quo Conclud. III. Videtur esse civilis amicitia. Quod sic probatur. Civilis amicitia versatur circa ea. 1. quæ sunt utilia. 2. quæ referuntur ad vitam. Cum jam & hoc modo sese habeat concordia, talis erit quodammodo.

8. Verum ut nec omnium voluntates unanimes omnes concordiam alere videantur, aut habeantur, conclud. IV. Non
Symp. IV. nisi viri boni, & cives boni sunt concordes. Seu, Concordia non nisi inter viros bonos exercetur. Quod sic probatur, Concordes. 1. secum ipsi sunt concordes. 2. firmiter in

suo

suo proposito perseverant, non enim refluunt, sicut Euripus fluvius, duodecim horarum spaciis fluens, ac refluens. 3. *sequuntur id, quod est honestum*. 4. *& id, quod concernit societatem publicam, bonum*. *Cum jam probi talitèr sese habeant omninò, improbi autem contra, non sint concordes, nisi in tempus exiguum, dum plura sperant: deficiant continuò à proposito: sequantur non niß quod est utile: & sibi: concordes neutiquam hi erunt.*

Beneficientia. Cap. VII.

9. *Tertium est* εὐεργεσία *beneficientia, de qua exquisitè & prolixè lib.* 4. *c.* 1. *Cujus Concluſ.* Qui beneficium dederunt arctius amant, quam qui acceperunt. *idque exindè.* 1. *artifex magis amat opus suum, quam opus amaret artificem, etjamsi animatum fuerit, quod videre est maximè in Poëtis.* 2. *honestum magis amandum, quam utile.* 3. *virtus potius in actione consistit.*

4. *quod*

4. *quod majori sumptu constat illud magis amandum*. Cum jam dans se habeat ut artifex, cui enim benefit, hic tanquam opus est benefacientis: accipiens sit honestus danti, hic autem accipienti utilis: dare insuper sit actio, accipere autem passio, quomodo matres suam etiam ardentiùs amant sobolem, quam amantur: is etiam, in quem beneficium collocatur, majori sumptu constet collocanti, quam benefaciens ei, cui benè fit, dans etiam magis amabit, quam accipiens.

Cap. VIII. 10: At verò ut id quod supra de amore sui dicebatur altiùs examinetur, Con-

Symp. I. clud. *I.* Seipsum amare non licet. quod hac probari videtur hypoth. *Virtus* 1. *nunquam est in vitio.* 2. *quæcunq; agit ad salutem principaliter aliorum refert, non ad suam.* Cum jam amici sui sint in vitio, ex quo etiam probrorum notantur infamia: & sui ipsorum gratia agant omnia, à virtute recedent. Et ut veritas eò magis appareat,

Symp. II. contra Conclud. *II.* Seipsum amare licet.

licet. *Quod sic ostenditur.* 1. *id maximè exercendum, ex quo amicitia oritur.* 2. *oportet nmare eum, qui est maximè amicus.* 2. *qui habet unum animum, unde proverbium unus animus,* μί αψυχή. 3. *eos quorum bona sunt maximè communia, bona enim amicorum communia esse debent: qui est propinquior, unde proverbium* γόνυ κνήμης ἐγγίων, *genu supra propinquius. Cum jam ex amore sui oriatur amicitia, ut supra: quisq; sibi sit maximè amicus: unus sit amicus: bona habeat communia: sit sibi propinquior, amare se ipsum licebit.*

11. *Vt verò, quæ contrariari inivicem videntur, solvantur, distinctionis loco hæc subjicitur hypoth. Alia est* φιλαυτία *turpis, alia honesta, quæ sic differunt, ut vita ea, quæ est juxta rationem, & ea, quæ juxta affectus, illa enim quod concedere,* συμφέρειν, *videtur, hæc, quod honestum est sectatur. Probi ergò sese ipsos amare possunt, ac debent, quod illud, quod honestum est, & verè conducit, se-*

etan-

ctantur, & rationi obtemperant, improbi verò nequaquam, quòd sibi ipsis nocent & alijs, & simul appetitum sequantur, qui fallit, rationi semper adversantes. Ne tamen & hi modum transiliant, regulam hanc habent. In internis, & quæ animum respiciunt maximè bonus amator sui esse debet, non in externis. *Projicit enim amicus pecuniam, & amico eam relinquit, honestatem sibi eligens, omnia enim hæc, de quibus alij inter se dimicant, malit amittere, quam honestatis jacturam facere, & brevi tempore magnam voluptatem eligeret, quam longo levem.*

12. *Cum verò supra dictum sit virum felicem virtute gauderi, atq; exinde etiam amicitiæ, quæri poterat, an cum in se felix sit, egeat etiam amicis? ubi Concl.* Vir felix nec indiget amicis utilibus: nec jucundis: sed tamen opus habet honestis. *Primum sic probatur:* Vir felix nullo indiget bono externo, quod habeat omnia τὰ ἀγα-

θὰ ὑπάρχῃ αὐτῷ, & cum Deus favet, quid opus est amicis? Euripid. Cum jam utilis amicus sit bonum externum, nec hoc indigebit. Proximum sic: Vir felix non curat, nec eget voluptate transeunte, mundana οὐδὲν δεῖται ἐπισάκτου ἡδονῆς, seu importata. Cum jam amicitia jucunda talis sit, nec hanc curabit. Postremum hac ratione comprobatur: Vir felix 1. debet ab omni parte esse beatus. 2. potius ipse de altero benè mereatur, quam ut beneficium accipiat. 3. nō debet vivere vitam solitariā, alias enim nec homo futurus esset, quod hic naturâ animal sociabile. 4. habebit exemplar, in quod introspiciens, virtutem suam examinet. 5. jucundè vivat, & omnem voluptatem ex virtute hauriat, vir enim bonus virtute delectatur, offenditur vitijs. sicuti musicus ex consonantia cantus exhilaratur, turbatur ex dissonantia.

tia. Cum jam amici sint bonum externorum summum : de his benè mereatur vir felix: cum amico conversetur, qui est vir bonus : sit illlud exemplar, in quo vir felix imaginem suæ videri possit felicitatis : faciat, ut ex virtutis pulchro adspectu vir felix jucundè vivat, viro felici maximè opus erit amicus. Vir enim probus & sapiens alio non eget, multa tamen opus habet.

13. *Ne tamen omninò carere non posse vir felix amico statuatur, sic enim felicitas non ex suo cujusq; esset, sed ex alieno, Conclud. II.* Vir felix aut probus amico non eget, pro felicitate, aut probitate sua formanda: sed propter usum. *Primum id declarare poterat, quod vir felix, in se & ex se felix sit, non ex alio: Secundum ita ostenditur. 1. Esse & vivere homini probo est jucundum. 2. & se vivum intelligere est jucundissimum. Cum jam vir felix ex amico quasi vivat; ex amico se ipsum intelligat, amicus enim*

Symp. II.

alter

alter idem, propter usum etiam amicum optabit, qui consistit non in pastu, sicuti brutorum, sed in communione vitæ, sermonis, consiliorum, ac societatis. ex quo & hoc exurgit porisma: Amicus in rebus est habendus, & optabilibus, & ijs, quæ licet expetere viro probo & felici.

14. *Jam ut eò certior sit amicitia,* Cap. X. *Concl.* Amici plures non sunt eligendi, etiam nec ulla in amicitiæ specie. *Quod ostenditur hoc modo, primo in amicitia utili. Multis inservire est 1. difficilimum, quam vis contrarium docere videatur Patritius, lib. 8. de Regno & Regis institut. cap. 12. 2. facultatibus detrimentum creat. 3. ita ut impedimento idem sit nostræ. 4. imò etiam felicitatem impediat nostram. Cum jam is, qui utilis pluribus cupiat esse, difficilè idem persequi possit, ita ut & impedimento sit tum vitæ, tum felicitati, nec amicus diu futurus erit, unde Hesiodus:*

Multorum non dicaris, neq; nullius hospes.

Secundò in jucunda. quod sic probatur: Ut *nimium potius tædium affert, quam voluptatem: ita id, quod mediocre est, jucundum est. Plures ergò amici cum tædio potius sint, quam jucunditati, nec hîc requirentur. Est enim ita utendum amicis in vita, sicuti ciborum condimentis, quæ ni fuerint mediocria & pauca, cibos reddunt suaviores, sin minus, sed majori copia infundantur, nauseam creabunt, iis, qui vescuntur. Postremò in honesta, quam Pythagoras dicit æqualem congruentiam, hoc modo. Honestis amicis incumbit.* 1. *cum amico familiter vivere, simulq; versari, quod de se & Scipione testatur Lælius ap. Cic.* 2. Congaudere. 3. condolere. 4. *in omnibus consentire.* 5. *omnia habere communia.* 6. *officia quævis inter sese communicare, & quæ sunt alia.*

Cum

Cum jam fieri vix posſit, ut similitèr, & æquè habeant omnes amici, aut erit ita constitutus amicus, ut non modo diversa, sed & contraria uno & eodem tempore subire posſit officia amicus, aut amicus nullo modo erit. Eustratius, & ex hoc Patrit. lib. 8. de Regno & Regis instit. tit. 11. Sicut nec in Veneris illecebris permitteretur, ut unus complures amet, aut una pluribus jungatur: ita nec pluribus unum quempiam esse amicum hæc virtus dat. quod ipsum etiam rerum usus comprobat, sicuti in amicitiam sodalium non recipiuntur multi, sed pauci. non enim nisi inter viros bonos, & similitudine morum, ac vitæ convenientes esse potest, quorum cum sint pauci, locum etiam suum habebit amicitia. Hesiodus μήτε πολύξεινος, μήτε ἄξεινος.

15. *Ut tamen altiùs idem declaretur* Concluditur: Amicus civilis, *qui scilicet cum omnibus familiaritèr, benignè, comiterq; versatur, quam socialem dicit Patritius lib. 8. c. 12. sicuti idem amicitiam divisit, ex Platone in naturalem,*

cui subjungit pietatem in Deum, indulgentiam in liberos, necessitudinem in consanguineos, & affinitate conjunctos tit. 9. citat. lib: Civilem, qua vel cives conjunguntur singularum civitatum ex jure communi, vel ex morum similitudine tit. 11. inter sese: vel ex utilitate tit. 12. & hospitalitatem, erga peregrinos benevolentia, tit. 13. distinguendus ab amico honesto. Civiliter ergò fieri potest, ut cives bonus multis sit amicus, etiamsi non sit blandus, sed vir bonus. At tamen vir honestus, qui non sit civis bonus, multis amicus esse non poterit. Ne tamen ubivis, & quivis quolibet tempore accersatur Conclud. III. Non quolibet tempore quovis amico egemus.

Cap. XI. 16. Etenim si vita nostra non uno & eodem modo se habet, sed modo lætamur, modo tristamur, quod amara cum dulci conjuncta sæpius, egeamus jam, quod ante habuimus, amico utili cum maximè opus fuerit, quando egemus, seu in rebus adversis, In prosperis v. & ad voluntatem nostram

ſtram fluentibus pulchriores ſunt amici ad honeſtatem, & maximè probi, quod cum his vitam degere optabile eſt, quod dignißimi ſint, ut beneficio afficiantur. Jucundi autem, tum in proſperis, tum in adverſis optabiles, & officioſi. Sed tamen, cum nihil tam bonum ſit, quod non aliquando officiat, etſi nec ſuâ naturâ, tamen ex accidente, Concluditur. IV. Amici aliquando ſunt moleſti, idq; non ſolum utiles, ſed & jucundi, ſed & honeſti.

17. *De prioribus nemini poteſt eſſe dubium, ſiquidem plus petentibus, quam par eſt, etiam honeſtißimus quisq; iraſcitur, ſicuti idem ex intempeſtivè jucundis cum quovis bono, oſtenditur, & jure. De poſterioribus obſcurum, quod ſic illuſtratur. Poteſt quis ex alterius præſentia latari, qui tamen, quod videat amicum ſui cauſa dolere, ob dolorem, quem excitavit in amico, condoleat. Cum jam amicus conſoletur adverſa valetudine utentem, & noverit,*

quorum voluptate trahatur; sit idem alter, non potest, quin doleat vicem eandem, quod cum malè habens animadvertit, non potest non affici, quod dolorem in animo pepererit amici. sentire enim ob suas calamitates dolore affici, molestum est, unde quisq; omni studio cavet, amicis ne causa doloris sit. neq; enim omnium eadem est ratio. siquidem viri fortes, quod alta mente, animoq; præditi, cavent, ne doleant amicis præsentibus: mulieres autem, & qui muliebri animo sunt, gaudent iis, qui unâ secum gemunt. Vt ergò in adversis unâ dolent amici, sic in prosperis jucundi maximè. Ne ergò amicus & sibi & amico sit molestus, Conclud. V. Inamicis vocandis debemus esse provi-

Symp. V. di.

18. Etenim cum sorte nostra afficiantur amici, eaq; vel sit secunda, vel adversa, sive adhuc cum mediocritate illa sit conjuncta, sive extremè affligat, res quo magis fluxerunt ex voluntate, eò citiùs amici erunt vocandi, & hoc ex eo, ut de alijs benemereamur, hoc enim præla-

rum

rum est &c. Si ad gravem calamitatem devenerimus dubitantèr, & timidè: Αλις ἐγω δυσυχῶν. *Satis enim est me miserum esse, Orestes erga Pyladem. Cum verò levitèr adversa tangant, advocandi eò maturius, quo plurimum sint profuturi: Ne verò amicus officium prætereat alter, alter suo bono privetur, Concluditur. VI.* Symp. VI.

Amicus non vocatus promptè adire tenetur, & malè & prosperè agentem. *hoc. 1. quod amici est benefacere, 2. idq; maximè ope nostra egenti. in primis, qui operam nostram non flagitarunt. Non enim honestum est, flagitare ut juveris. illud cum nihil sit altero jucundius hoc. quod ad res prosperas opera opus amicorum:* Sed ad bonum accipiendum properabit lentè.

19. *Verum ne, quæ inchoata vel recidat, vel quæ perfecta labascat Conclud. I.* Omni studio in id incumbendum, ut familiaritèr vivatur. *& hoc* Symp. I. *ex eo, quod familiaritas & conversatio, sunt quasi amicitiæ vinculum, sicuti fides fundamentum justitiæ. Sicuti namq; a-*

matoribus rei amatæ aspectus gratus est, etiam si minimam ejus partem aspiciant, lib. 1. de part. anim. c. 5. quapropter etiam hunc sensum præcipuè eligunt: Sic amicis familiaritatis usus amabilissimus, & hoc eò magis, quod amicitia societate contineatur, & in hac pocissimum exercentur actiones & studia, quorum amore quisq; studiosè trahitur. hinc est quod dicitur: Absentia plerumq; oblivionem benevolentiæ inducit, & silentium multas amicitias dirimit, quod tamen potissimum de utili & jucunda amicitia verum est. Virtus enim ut nexus est omnium: Sic nihil ea est amabilius. quam qui adeptus est, ubicunq; gentium erit, à nobis diligitur Cic. de natur. Deorum lib. 1. unde

Symp. II. Concl. II. Non cum pravis consuescendum: sed cum bonis. ut enim pravi communicant consilia prava: ut etiam qui non ita malus erat ad improbitatem proruere facilè possit: amicitia improborum instabilis sit: Ita ex proborum conversatione probitas augetur, quod alter alterum in congressibus admonet; idq;

idq; semper de bono, quod non possint nisi bona agere. Certissimum autem bonitatis fundamentum sit æquabilitas Scalig. Exercit. 48. s. 4. Vt ergò bonum est eligere eos, cum quibus conspecti calorem non mutemus Plutarch. ita inter malos bonum se præstare, tantæ est virtutis, quantæ difficultatis. Theognid.

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλά

A probis proba. Virtutem ex
justis discès,

Sicuti Æneas filium ex se discere jubet virtutem apud Virgil. Æneid. 12. Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem.

Quamobrem omnibus fugiendi viribus mali, sicuti juvenes Tantalus hortatur, ut sui conspectum fugiant:

Nolite juvenes ad me ire ilicò,
Ne contagio mea bonis umbrave obsit.

Coronidis loco hîc quæri poterat: An inter Principem, & ejus consiliarios intercidat amicitia? Et si hoc, quænam illa sit, & quomodo *inferior* familiaritatem sit *instituturus?*

rus? *Sed hic malim doceri, docere enim nõ possum: id saltem mihi ad exercitium;*

Quomodo inferiori amicitia incunda, & colenda cum superiori.

Atq; omnibus convenit inter impares æqualem non posse coli amicitiam: An ergò inæqualis? tantò magis, quantò longius distant, in amicitia utili. at periculosa, tum superiori, ne recedat ab officio amici, ut ne, cum det, non quantum, non cui, adulari se sinat: tum inferiori, ut ne, dum accipit magis, quam debet, & non quod debet, iniquus habeatur ab aliis, ingratus à dante, & sic infensus, & odiosus. ubi tum odium eo ardentius, quantò amor fuerat intensior, amicus expendens sublimior. Cum enim mercatura quædam sit, non amicitia, quando ad utilitatem nostram referimus amicitiã, non erit sine fraude, atq; inde odiosa magis. Cum n. duobus modis vi aut fraude fiat injuria, fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur, utrumq; alienissimum est ab homine, sed fraus odio digna majore Cic. lib. 1. off. Cum ergò gratuita benevolentia potior, jucunda ne placet? nisi

nisi superiori sit offendiculo: mihi vitio. cum enim non semper rideat vultus, qui placere vult, facilè tum assentator videtur, tum gratiam amittit, & in odium incurrit. fallere enim videtur, sub specie jucundi. Ergò honesta? sic videbatur, cum non solum viri excellentis, sed & Regis amicitiam præstet communem esse, non uni tantum, sed omnibus bonis, ac doctis viris facilem. Patrit. lib. 8. tit. 11. de Regno & Regis instit. Sed hæc tamen observare malim. I. ut non nisi accersitus accedam. nimia enim familiaritas ut superiori parit contemptum, sic inferiori invidiam, si non amantis, at tamen qui simul amãtur. II. malim inservire, si possim, officiis, quã mihi inservíatur pecunia, aut opibus. III. Si quod offeratur, malim recũsare, quam ex tempore manu utraq; accipere. quod enim horum laudabilius, aut Phocioni, qui virtutis testimonium sibi putabat, & probitatis paupertatem, audire ab Antipatro: Duos amicos habeo, quorum Phocion nummos à me nunquam accipere voluit: aut Demadi audire ab eodem: Demades

des donis nunquam potuit expleri. IV. Amicum expectabo, non quæram: rarò accessurus: mox adfuturus: citius abiturus: non nisi vera relicturus.

Ethicotheologicum.

Parentibus non modò amor, & reverentia debebitur, sed & obædientia, quam tamen alij in nullo deberi parentibus asserunt, quandoquidem si quid debeatur, aut non, id legibus deberi, non parentibus: alij in quibusdam, nempè bonis: alij in omnibus. Verũ ut hic rectè discernatur notanda hæc sunt. I. Deum tuum super omnia diligas. quippè qui Dominum timet, parentes etiam honorat Eccles. c. 1. qui a. patrem vel matrem filium aut filiam plus quam Deum, neq; dignus eo Matth. 10. II. Quamvis obædiendum sit parentibus, hoc nisi ad aras tamen: si injuriam intulerint, non modo reticere oportet, sed etiam æquo animo ferre juxta Cic. si jusserint iniqua, lenitèr & verecũdè, ac sine detestatione nimia, sine opprobratione acerba reprehensionis declinanda sensim, & relinquenda potius, quam respuenda. juxta Gell.

Pro cluentio. lib. 2. c. 7 ubi prioris sententi. sophisma eluditur.

Dispu-

Disputatio decima nona

EX LIBRO X. DE FELICITATE

ΘΕΩΡΗΤΙΚΗ

Cum collatione quadam ad Ethicam Christianam,

ad diem XXX. Januarij

Respondente

JACOBO HOFMANNO Neotrept. P.

THESIS I.

Cap. I.

QVm voluptas naturæ nostræ quàmadmodum sit cognata: ad beatitudinem multum conferat, omninò ejus doctrina non prætereunda, idq; ex eo, ne, cum bono summo valdè sit cognata, vel ipsum summum bonum habeatur, vel omninò tanquam naturæ inconveniens, & noxia, repudietur.

Cap. II.

2. *Etenim hanc ipsam summum esse bonum evincere volebant Eudoxus & Epicurus hinc inde potissimum.* 1. *quod ab omnibus animalibus tum ratione praditis,*

tis, tum carentibus expetatur. 2. quod dolori, tanquam malo opponatur, contraria autem contrariam habeant naturam. 3. per & propter se expetatur. 4. Et quod deniq; omne id, cui accesserit, bonum illustrius faciat, atq; adeò magis expetendum. omne enim cum altero bono magis eligendum est, quam si solum illud fuerit.

3. Verum ne Epicurus hic quid obtineat Platonici sese opponunt his hypoth. I. Non est summum bonum quod omnibus competit animantibus, cum animalia & imperiti possint expetere quod est pessimũ II. Non semper bonum malo opponitur, sed sæpè malum malo, sicuti avaritia opponitur prodigalitati. III. Imò quod accidente alio aliquo fit melius nõ est summũ bonũ. Id n. summum bonũ est, quod ab accedente alio aliquo non potest reddi melius. IV. Et id quod non est

per se

per se bonum, nec per se expetitur.

4. At verò cum hoc modo omnis voluptas damnetur, Aristot. Concludit: Volùptas non est summum bonum, nec tamen omnis mala est. Argumenta ergò Eudoxi tollenda: Corrigenda Platonis. Contra Platonem ergò hæ assumuntur hypotheses. I. Voluptas non solum in brutis, & hominibus imperitis locum habet, sed & in sapientibus. II. Imò nec voluptas omnis, quæ etiam in improbis & brutis est, omninò mala est, sed quædam naturâ bona. ut voluptas procreandi. III. Ea quæ odem modo non sunt fugienda, in pari non possunt esse oppositione, seu non possunt æquè esse contraria. Pariter autem non fugienda est voluptas & dolor Platonicis. IV. Bonum ejusmodi non cadit in hominem, quod non possit accessione alterius fieri splendidius, tale enim non potest comparari ab homine.

5. Verum ut Platonici efficiant, quod volunt, hanc assumunt hypoth. Omne Ca. III.

bonum. 1. est qualitas. 2. est ὡρισμένον definitum. 3. & si revera est bonum, etiam perfectum est. Cum jam, ex Epicuri sententiâ, voluptas non sit definita, quod magis & minus recipit: non sit perfecta, quod vel motus sit, vel generatio, nec bonum aliquid erit.

6. His ut controveniatur responsiones his includ. hypoth. I. Non omne bonum est qualitas, ut Deus, mens, & alia. II. Ut non omnes voluptates recipiunt magis & minus, sed corporis potius, quod habent admixtum quid doloris: ita nec omne id, quod magis & minus recipit, est indefinitum. alias enim & virtus, & sanitas, quæ, etsi in abstracto sint perfectissimæ, in concreto tamen magis & minus recipiunt, hic enim illo fortior est, & magis sanus, indefinitæ essent. III. Voluptas nec est motus, quod ei nec competit celeritas, nec tarditas, formaliter scilicet considerata, & ut est affectus, seu ratione actus & fruitionis: nec generatio, quod hæc est substantiarum: nec repletio naturæ, sed

quid

quid repletionem naturæ subsequens.

7. Eudoxi verò sententiam falsam esse sic probatur: Si omnis voluptas bona est. 1. nullum discrimen est inter eam, quæ ex adulatore percipitur, & eam, quæ ex viro bono. 2. vita puerorum, quæ maximè deliciis abundat, esset expetenda. 3. etiam approbanda & expetenda essent maximè nefaria, quod & hæc cum voluptate sunt.

8. Verum quod supra dictum voluptatem non esse motum, aut generationem, id ut altius ostendatur, hæc assumitur hypoth. 1. nullus motus quovis tempore est perfectus. circulari excepto, qui perfectus dicitur quod à suo principio abiens, in idem redeat, & quod finis sit reliquorum motuum omnium. 2. de Cælo cap. 1. 2. fit in parte aliqua temporis. 3. est tale, cujus partes possunt tum separari, tum numerari. Cum jam voluptas quovis tempore sit perfecta, quod simul & semel est tota, nullius rei indigens ad sui perfectionem: fiat in momento: sit impartibilis, non erit vel motus vel generatio, ut ta- Cap. IV.

men constet quid sit, Concluditur. I. Est perfectæ operationis subsequens signum. Sive ea oriatur ex θεωρίᾳ contemplatione rerum æternarum, ac cælestium: sive ex διανοίᾳ deliberatione de rebus agendis: sive ex operatione ἀπὸ αἰσθήσεως. hisce enim, tanquam inseperabile accidens cohæret, tàm diu persistens, donec ipsa agendi facultas circa objectum, aut etiam ipsum objectum non langueſcat.

9. Exurgit hic porisma: Cur res novæ initio maximè delectent, pòst autem deficiant delectando? ubi distinguendum censeo, inter voluptates puras, & impuras. in illis ergò deficit agendi facultas, in his ratio etiam prævalet, & cupiditates domat. Cur jã qui amore potitus est adulter odit intensius adulteram? vel quod dolet peccatum, dum à voluptate impura ratio devicta reviviscit, omnes enim naturâ bonum volumus, malum fugimus, quod vitam omnia velint, & sui perfectionem, quomodo etiam omnia animantia expetunt voluptatem: vel quod odit, peccandi

cãdi occasionem & incitamentũ prius oblatũ. Vt tamen altius distinguantur, Concl. Cap. V.
II. Voluptates non sunt eædem. I. quod diversas habent causas, ex diversis namq; operationibus diversæ oriuntur voluptates. II. diversos effectus. quam enim actionem voluptas propria promovet, eandem aliena impedit, ac destruit. III. quod specie differunt. sunt enim. 1. turpes, honestæ, intermediæ. 2. aliæ synceræ puræ & impuræ. 3. aliæ beluinæ & humanæ. quæ differunt. 1. pro ratione conditionis. 2. pro ratione temporis. 3. pro ratione sexus. 4. pro ratione ætatis. 5. pro ratione virtutis. IV. Veræ & honestæ, quæ in viris bonis tantum: falsæ: intermediæ.

10. Jam cum finis habeat duplicem respectum, vel ut est rei alicujus principium, & ut primum est intentione: vel ut est extremum, in quo agens suam actionem terminat, ultimum in executione, Concl. Cap. VI.
I. Et hic de summo bono agendum. Verum cum universa felicitas supra definita sit, nec tamen explicata, Conclu-

ditur. II. Hic tantum de felicitate θεωρητικῇ agendum.

II. At verò cum beatus non possit esse dormiens, ægrotus, aut inops Conclud.

Symp. III. III. Beatitudo non est ponenda in habitu, sed in operatione. eâq; non jocosâ, sed seriâ, & per se expetendâ. hoc autem ex eo, quod seipso est contentum quid, & nullo alio bono externo indigens. illud quod res serias ludicris præfert vir bonus, idq; ex eo, quod cum beatitudo sit ultimus vitæ finis, hic tum aliâs in rebus ludicris & jocosis esset quærendus, tum homo ad res jocosas esset natus, quod absurdum foret. Etsi enim potentiores in rebus ludicris versentur, faciunt tamen hoc, vel ut labores mitigent, vel etiam ex corrupto & pravo judicio. Quæ tamen operatio ut dignoscatur, Con-

Cap. VII. clud. IV. Operatio, in qua homi-

Symp. IV. nis beatitudo hæc consistit, est θεωρία contemplatio. est enim hæc operatio præstantissima. 1. quod à sapientia provenit, quæ, ubi est in homine, facit, quod Senecæ, ut nihil homini desit. siquidem,

dem, quod Ciceronis ipsâ naturâ locupletat. Verinus Poëta: Si fueris sapiens Crœsi superaveris aurum. Nam sapiens nullo tempore vivit inops. 2. quod est diuturnior, non enim ita facilè labefactatur, nisi id fiat ex organorum, & corporis imbecillitate. 3. quod jucundissima est, quod cum sit rerum pulcherrimarum, pulcherrimam habet conjunctam voluptatem, eamq; firmissimam. 4. est αὐτάρκης, non enim externis eget adjumentis, quamvis hoc illuderet Dyonisius, cum petiisset Aristippus, dicens, Sapientes nullo egent. ut enim non sapiens verè, sed solers & adulator Aristippus: ita sapiens nec eget, quâ sapiens, multa tamen opus habet, quâ homo. 5. itaq; etiam per se expetitur. 6. atq; adeò etiam est quietissima. etsi enim operetur, sine tamen hoc agit labore. Ex quibus hæc exurgunt porismata. I. Contemplatio bonum est exoptatissimum. *II.* Atq; hinc inde: Homo maximè expetere debebit vitam theoricam. *& hoc propterea, ut, cum sit ex altera parte mortalis, eò labo-*

ret, quo sese à mortalitate vindicet.

12. Ne verò eadem, aut inferior habeatur hæc priori, Concluditur. V. Beatitudo theorica præstantior est practica. Quod sic ostenditur. θεωρία. 1. est mentis operatio. 2. versatur circa divina. 3. sese ipsa est cõtenta. 4. ad divinã naturam possidentes eleat. quod scilicet non opus habet. 1. moderatione affectuum. 2. ministerio corporis. 3. externis bonis, hæc enim videntur Deo maximè propria. Cum jam practica sit practici animi: sit humana, quod circa humana versetur: multis indigeat bonis externis: & cum brutis nobis commune quid: ab affectibus turbetur: non possit exerceri nisi ministerio corporis & bonorum externorum, illa tum diversa ab hac erit, tum longè præstantior.

Cap. IIX. sym. V.

13. Quod supra diximus, contemplantem non egere bonis externis, ut vindicetur hanc pono hypoth. Sicuti homo est ex mundano ac cœlesti seu ex corpore & anima: ita multis

multis potest egere, quatenus est homo, & mundanus, quibus tamen non indigeat ut divinus. Quod si jam regeras hominem contemplantem non posse vivere etiam sine alimento? hoc sicuti & aliis opus habebit, non quatenus contemplans est, & divinus, sed quatenus homo, & civis. non quo ad contemplatur, sed quo ad comtemplationem cum moribus conjungit.

14. *Ne ergo quivis contemplans pro felici habeatur, Concluditur. VI.* Cap. IX. Beatitudo non consistit in contemplatione præceptorum Ethicorum, sed usu. *Etenim ut artes quælibet tribus includuntur & comparantur modis, arte, disciplina & usu: sic etiam moralis doctrina. Natura enim virtuti prima fundamenta ponit: doctrina in amorem ejus deducit: et cum usus & consuetudo altera sit natura, id quod positum est, quod amabile redditum, confirmat & perficit.*

15. *Est autem doctrina & edu-*

catio, græcè παιδεία vel privata, cui præest pater familias: Vel publica, cui præest magistratus. Ad utramq; autem requiruntur leges, quæ vel privatæ, quæ à privatis personis autoritatem suam hauserunt, atque inde magis persuadent, quam cogunt: Vel publicæ, quæ cum à viris prudentibus proveniant, horum tum autoritatem promovent, tum invitos cogunt.

16. Ne autem legislator in sanciendis legibus erret, Concl. Vltimo. Circumspectus sit in legibus ponendis. atque exinde tum cognoscat & universalia, & particularia rerum agendarum, tum non à Sophistis, sed à sapientibus, & iis, qui sunt Politici, discat. Vt enim Politicus sine sapientia nullus est, ut medicinæ fructus nullus nisi morbum expellat: Sic Philosophia nulla est sine more, & nisi animi morbos tollat. Sed tamen & hoc verum existimo, quod Seneca dixit, Epist. 1. 17: ad Lucilium. Hoc scias, neminem posse benè vivere, sed nec tolerabiliter sine sapientiæ studio. Cum omnia ha-

habueris, tunc & habere scientiam voles, & sapientiam. Hic erit vitæ, dicit ille, nos moralis philosophiæ, ultimum instrumentum. Ad quam si devenerimus, navis nostra fluctus superavit, & applicuit portui. sat ergò felices.

Ethicotheologica.

Quicquid prædicent Politici de sua felicitate, id tamen longissimè vincitur ab eâ, qua gloriantur Christiani. Quod sic ostendi poterat: Christianorum. 1. à Deo est. 2. perfectissima. 3. divina. 4. hominem ad Deum elevat. 5. omnibus bonis cumulat, sicuti omni malo liberat. 6. in æternum ab interitu servat. Cum jam Politicorum sit ab hominibus: sit imperfectissima, etiam ipsa, quam fingunt, idea, ad illam si referatur: & si quid potest, quod tamen nec sine gratia divina potest, vix ad humana hominem elevet: non omnibus malis liberet, ipsa sit perpessioni obnoxia, vix umbra ad illam futura erit. An verò, si quæ Civilis in hominem cadit, post mortem aboleatur, aut perficiatur potius, hoc theologi distin-

stinguent. Magist. Sententiarum lib. 8. distinct. 33. Immortalis omninò est justitia, nec in illâ beatitudine esse desinet, sed talis ac tanta erit, ut perfectior & major esse non possit. Prudentia sine ullo periculo errorum: fortitudo sine molestia tolerandorum laborum: temperantia sine repugnatione libidinum erunt in illa felicitate, &c.

Sed hoc in electis.

Quod qui promeruit soli sit gloria in æternum.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0504
DFG

ERRATA.

P 49. l. 1. *virtutes morales & virtutes contemplativas.* p. 60. l. 13. *dele quod.* p. 70. l. 12. *intellectuales* p. 71. l. 22. *dele &.* p. 73. l. ult φθέιρεται. p. 83. l. 10. *uterq;* p. 91. l. 1. *mediocritas.* p. 93. l. 8. *indivisibili* p. 95. l. 15. *æquales.* p. 96. l. 2. *dele quod* p. 130. l. 25. *dehortarentur.* p. 202. l. 8. *dele ne.* p. 204. l. 1. *venerantur.* p. 222. l. 24. *sordes* p. 237. *incestu.* p. 288. l. penult: *tueri poterint.* p. 264. l. 11. *præmeditata.* p. 267. l. 23. *dele à liberalitate.* p. 286. *non indiget.* p. 303. l. 20. *in solum.* p. 322. l. *genere & consensu.* p. 225. l. 1. *Vertere.* p. 388. l. 13. *pollicetur* p. 289. l. 8. *ustionem.* p. 392. l. 17. *de ea.* p. 393. l. 9. *transcenderit.* p. 394. l. 11. *relinqueret* p. 401. l. 18. *coactum præceptum.* p. 410. l. 2. *ut sapientia pro intelligentia.* p. 411. *pro nea, nec ne, pro* ἄιτα ὄυτα p. 437. l. 21. *morali vitio* p. 448. l. 4. *continentes* p. 467. l. 20. *nonnunquam.* p. 491. l. 20. *conducere* l. 5. μια ψυχὴ pag. 378. l. 22. *contractu.* Reliqua pro æquitate sua corrigere velit lector æquus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0505
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0507
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0508
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0510
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0511
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0512
DFG

habueris, tunc & hab
les, & sapientiam. H
ille, nos moralis philoso
strumentum. Ad quam s
vis nostra fluctus supera
portui. sat ergò felices.

Ethicotheo

Quicquid prædicen
felicitate, id tamen lo
ab eâ, qua gloriantur C
sic ostendi poterat: C
à Deo est. 2. perfectißi
hominem ad Deum ele
bonis cumulat, sicuti
6. in æternum ab inter
jam Politicorum sit ab
perfectißima, etiam ip
idea, ad illam si referat
test, quod tamen nec
potest, vix ad humana
non omnibus malis lib
pessioni obnoxia, vix
futura erit. An ver
hominem cadit, post m
aut perficiatur potius

po-
cit
in-
na-
uit

sua
tur
uod
1.
4-
bus
rat.
um
im-
unt,
po-
ina
et:
per-
lam
is in
ur,
di-
stin-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770152651/phys_0513
DFG